DE SENTENTIARUM ASYNDETI USU EURIPIDEO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA

HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ERICUS BUSSLER

BRANDEBURGENSIS.

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS

MDCCCLXXXVII.

F. G. HUBERT,

VIRO ILLUSTRISSIMO,

MAGISTRO SUO ATQUE AMICO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS PIETATIS SIGNUM

DEDICAT AUCTOR.

Asyndeti figurae vim ac naturam, quae quo modo definienda sit, viri docti valde inter se dissentiunt, Seemannus[1]), cum dicit: „sententiarum asyndeton est statuendum, cum duae vel plures sententiae inter se coordinatae sensu quidem cohaerent, particula autem nulla coniunguntur", optime circumscripsit. Nam cum Hermannus Dissenii excursum percensens dicit: „Was ist nun das Wesen des Asyndeton ganzer Sätze? Ein mit dem vorhergehenden nicht verbundener Satz erscheint als Anfang der Rede; denn das ist das Wesen der Unverbundenheit", et paullo infra: „Welche Art von Asyndeton aber auch gebraucht werde, so muss die Rede so beschaffen sein, dass sie sich rhetorisch als einen Anfang darstellt, mithin sowohl der Gedanke als der Ausdruck kräftig ist" — haec cum exponit vir illustris, connexum qui logica ex parte est, nimis neglexit, ad formam rhetoricam tantum animum intendens. Eodem modo Naegelsbachius asyndeton non sententiarum ratione sed orationis forma effici arbitratus: „Das Asyndeton, ait, ist diejenige Aufeinanderfolge zweier grammatisch, logisch und rhetorisch coordinierter, anderweitig unverbundener Sätze, vermöge welcher die vorhandene Succession der in denselben enthaltenen Vorstellungen aufgehoben und für die Phantasie in ein Zumal verwandelt wird." Zielius[2]) autem, quamvis verbis hisce: „Verum igitur asyndeton ibi tantum agnosci potest, ubi oraculorum vel sententiarum grammatica logicaque vi pari nulla vox adest, qua quomodo ea composita esse voluerit scriptor, indicatur" huius figurae vim ac naturam describens de rhetorica quadam coordi-

[1]) H. Seemann. De asyndeto Sophocleo quaestiones. Vratislaviae 1882. p. 3.

[2]) Ziel. De asyndeto apud Sophoclem. Progr. Celle 1846. p. 3 et 4.

natione nihil commemoraverit, suo iure dixisse sibi videtur: „vim asyndeti esse vere mereque rhetoricam, praesertim cum hac ex re discrimen peti possit inter verum falsumque, quod posterius illa vi caret." Sed quamquam concedo, recte locutum esse virum doctum: „cum in vulgari sermone particulis indicibus talis progressus et sit et postuletur, ut quomodo ex altero alterum consequatur eluceat, omissis cum tolli paene ac rumpi videatur omnis nexus, attentiores nos facit scriptor ad investigandam veram coniunctionem retinetque quodammodo cogitationes nostras, ne quae urgere voluerit ipse, nos transiliamus legendo", tamen erravit, asyndeto quale est apud Graecos eandem vim attribuens, atque hodie ei adscribitur.

At rectissime Bromigius[2]), qui contra hosce viros doctos ex ipsis veterum grammaticorum testimoniis, quae quotquot exstant, summo opere collegit, ut quosnam locos illi hoc figurae nomine complexi essent, cognosceret, hanc fere definitionem prodire dicit: „*Τὸ ἀσύνδετον σχῆμα* (vel *διάλυσις* ap. Herodian. l. c. pag. 603 et Rut. Lup. l. c. I, 15; dissolutio; solutum ap. Aquil. Rom.; inconnexio ap. Rufinian.) nascitur, ubicunque *οἱ σύνδεσμοι* (coniunctiones) omittuntur sive demuntur." „Sic", pergit, „Aristot. *ὥςτ' ἐὰν ἐξαιρεθῇ ὁ σύνδεσμος κτλ.,* Plutarch. *συνδέσμων ἐξαιρεθέντων κτλ.,* Theon *ὅταν τοὺς συνδέοντας τὴν φράσιν συνδέσμους παραλείπωμεν,* Cic. orat. l. c. demptis coniunctionibus, auct. ad Herenn. coniunctionibus verborum e medio sublatis." Quae ad verba explicanda optimo iure addidisse eum videmus: „Indicatur autem verbis *ἐξαιρεῖν, παραλείπειν,* demere talibus locis per leges grammaticas coniunctiones posse inseri." Itaque ad asyndeti figuram statuendam semper enuntiatorum rationem grammaticam respicere debemus, neque vero quidquam aliud.

Excessit vero modum Gollwitzerus[2]), qui Bromigium hoc potissimum secutus, ut omnes in diverbiis locos, quibus particula inter duo enuntiata omissa est, afferret, quin etiam ea asyndeta tractavit, „quae actione aliqua scaenica efficiuntur, ut paene

---

[1]) G. Bromig. De asyndeti natura et apud Aeschylum usu. Münster 1879. p. 7.

[2]) Th. Gollwitzer. De asyndetis Aeschyleis. Acta sem. phil. Erlang. Vol. II. 1881.

eadem inter duo enuntiata constet ratio, quae inter duas eiusdem personae orationes alia oratione inter se seiunctas." Nam quantulumcunque illi actioni scaenicae attribuitur, oratio interrupta est neque uno tenore pergitur, ut quamvis arcte verba inter se cohaereant, potius duos sermones quam unum habeamus et unusquisque non tam coniunctionem quam ipsum asyndeton requirat. Qua de causa omnes illos locos censeo amovendos esse.

Neque vero minus ipse Seemannus erravit in iis, quae de illis locis distinguendis protulit[1]), „ubi particula certe non exstat, sed ne desideratur quidem, ita ut asyndeton non sit nominandum."

Ac primum quidem, ut de ea condicione, quae de sententiarum nexu est, pauca dicam, ubicunque poëta personae loquentis sententiarum ordinem nobis explicans duo enuntiata inter se coordinata sine coniunctione componit, etiam tum, cum ipsa ea enuntiata sensu quidem non cohaerere videntur, at sententia illa, cui alterum annexum est, facile e priore subauditur, asyndeton statuendum est. Saepissime enim, non „nonnunquam", ut ait Seemannus[2]), „etiam annectitur enuntiatum subsequens ad cogitationem aliquam retentam supplendamque." Illud medium autem ubique statim nobis se praebet exceptis illis sententiis, quarum altera omnino nova oratio incipitur.

Itaque asyndeton ubique statuo nisi

a) cum enuntiatio altera ad rem aliquam scaenicam spectat, qua sententiarum ordo interrumpitur; quo etiam referas, si quis, postquam ei interroganti aut iubenti non apertis verbis, sed actione aliqua responsum est, orationem suam resumat;

b) cum aut subito de re nova dicitur, ita ut verborum connexus cum prioribus nullo modo inveniri possit, aut cum persona alia loquitur. Quibus locis Seemannus rectissime etiam eos adiunxit, „ubi quis verba quaedam non magna voce profert, sed summissa, quasi secum loquens"; neque enim dubium est, quin verba posteriora cum prioribus, quippe quae a nullo percipi debeant, nullo modo connectenda sint.

Quod autem ad alias, de quibus dicit, exceptiones attinet, pri-

---

[1]) p. 3. [2]) p. 5.

mum quidem verba illa[1]) „saepe sequentia spectant ad rem aliquam, quae nullo adiuvante in rerum natura vel in loquentis ipsius corpore animove evenit", quid sibi velint, haud intellego. Nam etiamsi inter verba, quae loquimur, animi status noster aliquo modo mutatur, quid nos impedit, ne posteriora, quibus illa mutatio iam perfecta elucet, cum prioribus coniungamus? Summum ei concedi potest, talia asyndeta non explicari nisi media quadam cogitatione suppleta, ad quam verba posteriora spectent; quamobrem eisdem inserere debuit, non seorsum afferre. Neque exempla satis diligenter elegisse mihi videtur. Recte quidem animadvertit, famuli dicentis (Soph. O. R. 1129) *τί χρῆμα δρῶντα;* verba animum valde anxium demonstrare, sed cur verbis demum *ποῖον ἄνδρα καὶ λέγεις;* regi, qui interrogaverat versu priore: *τὸν ἄνδρα τόνδ' οὖν οἶσθα τῇδέ που μαθών;* eum respondere putemus, ut voluit vir doctus? Priora famulus locutus est, cum persuasum haberet, regem neminem nisi nuntium praesentem indicavisse; posteriora addidit, cum subito de Oedipi verbis dubitare coepisset, ut certior fieret, quemnam hic significasset. In utraque autem interrogatione eadem animi anxietas latet neque minus in altera quam in altera cognoscitur. Itaque non offendissem, si auctor alteram enuntiationem alteri particula *ἀλλά* annexuisset; hasce enim cogitationes famulus quaerens in animo habet: quidnam huncce virum perfecisse me scire putas? — sed iam video, potius mihi esse quaerendum: quemnam hominem dicis? —

Similem cogitationum connexum habemus in verbis, quae affert Seemannus El. 390: *ὅπως πάθῃς τί χρῆμα; ποῦ ποτ' εἶ φρενῶν;*

Sed de hac re satis.

Deinde omnes eos locos, ubi[2]) „resumit loquens orationem, postquam responsum vel factum aliquod frustra exspectavit", una cum Seemanno amoverim iis asyndetis annumerans, quae actione scaenica oriuntur. Id unum vero in exemplis statuendis summo opere cognoscendum est, utrum veram an rhetoricam quaestionem habeamus, quoniam tum, cum haec se praebet, omnis pausa orationis neganda est; quod idem vir doctus non satis respexit.

[1]) pag. 4. [2]) pag. 5.

Reliqua quae de personis alias excipientibus, de choro chorago, de semichoriis inter se respondentibus commemorat, neque minus ea, quae de usu illo translato, ubi quis alterius personae vice fungens secum ipso colloquitur, profert, praetereo, quod hic specie illic re vera non unius sed duarum personarum orationes sunt.

Sed ad alteram condicionem, ad asyndeton statuendum necessariam veniamus, quae est, ut utraque sententia pari vi sit; quam eandem nullo modo repudiari posse existimo. Itaque optimo iure Seemannus omnibus iis locis, ubi altera sententia alterius tamquam subiectum aut obiectum exsistat, asyndeton esse negavit exceptis cum iis[1]), „ubi sequentibus obiectum proprio quodam verbo sive pronomine seu substantivo expressum explicatur", tum iis locis, „quibus obiectum non aperte quidem significatur, sed tacite in antecedentibus latet, idque aut antecedit obiectum aut subsequitur." Neque quisquam eum reprehendet, quod etiam pronomini relativo — addere potuit: et adverbio relativo — tantam vim inesse dicit duas sententias coniungendi, ut asyndeton, etiamsi coniunctio abest, tollatur.

Deinde, quae de parenthesibus disputavit, plane probanda mihi videntur; minus acceperim quae de imperativis et interrogationibus quibusdam protulit. Illos enim imperativos recte quidem dicit nihil nisi notionem urgendi vel festinandi exprimere; tamen verbis, quae affert, *ἴθι, ἄγε, φέρε* non minus quam elocutionibus hisce *σπεύδωμεν* (cf. Eur. Hec. 507), *χωρεῖτε* (Or. 1258) aliis suam ipsius verbi vim abiudicare ausim. Quo eodem modo sentio de illis interrogationibus, quas affectus tantum animi, e. g. indignationem, admirationem, gaudium, dolorem, festinationem alia indicare contendit, propria vi prorsus carere putat. Nam neque eas, quae per se integram sententiam efficiunt, ut sunt *τί φῄς; τί δρᾷς;* neque eas, quibus ut plenam dictionem habeamus, aut verbum *ἐστὶν* aut aliud aliquod ex enuntiatione priore repetendum addi opus est, e. g. *τί δῆτα; τί χρῆμα;* adeo de sua vi perdere velim, ut nihil nisi exclamationes, ut ita dicam, cum iis quae sequuntur coniungendae videantur. Immo, ubicunque his dictionibus altera aliqua interrogatio an-

[1]) pag. 9.

nectitur, in utraque summi animi affectus patefiunt, quasi ei qui loquitur non satis fuisset brevi illa quaestione *τί φῄς; τί δρᾷς;* aliis iam demonstrasse, quam inopinanti sibi accidisset, quod nunc oculis videret aut auribus perciperet. Pleraque igitur eius modi exempla generi asyndetorum augmentativo, illa, ubi omnis animi motus abest, generi explicativo attribuenda sunt. Quibus denique locis non interrogatio, sed alia aliqua enuntiandi forma sequitur, e. g. imperativus, sicut Med. 691 *τί φῄς; σαφῶς μοι σὰς φράσον δυσθυμίας,* nemo non verbi propriam vim agnoscet.

De ipsis exclamationibus, quales innumerae inveniuntur, ut *οἴμοι, φεῦ, αἰαῖ* aliae, vix dicendum est, quoniam per se totius enuntiationis vim habere nequeunt. Neglegendum quidem non est, etiam sententiam quae exclamationem sequatur eidem nonnunquam particula *γάρ* annexam esse, quasi is qui loquitur verba illa adiunxisset, ne ignoraremus, qua de causa animo tam incitato esset, enuntiatum autem integrum pro mera voce exclamandi facile effici, si verbum *λέγω* seu simile aliquod addideris; tamen de his locis aliter iudicandum est.

Nam, si cum iis locis, ubi particula non est, contuleris, tam paucos invenies — eodem modo quo parentheses, quas interdum particulis affirmantibus aut causalibus *γάρ, καί, δέ* praeditas esse, recte monuit Seemannus —, ut non facile innumeris illis locis, qui coniunctione careant, unam illam vocem plenae enuntiationis vice fungi et asyndeton statuendum esse putes. —

Haec de asyndeti forma definienda; pauca de generum huius figurae partitione addere mihi liceat.

Optimo iure Seemannus et quae Naegelsbachius de asyndetis aut impropriis aut propriis disputavit, et quae Zielius de asyndetis aut falsis aut veris protulit, neglexisse mihi videtur. Neque minus ei assentior partitiones Gollwitzeri non accipienti; nam duobus illis generibus, quae non rationem sed formam enuntiatorum secutus Naegelsbachius sic definivit: „ut prius sit eorum asyndetorum, ad quae formanda enuntiatorum ratio valuerit, alterum eorum, ad quae forma", Gollwitzerus addit dramaticum „cum duo enuntiata ob eam causam nulla particula coniuncta sunt, quod alterum ad actionem quandam in scaena factam adiunctum est." Quod genus mihi non minus quam Seemanno omnino reiciendum videri iam disserui.

Mirum autem est, quod Bromigius [1]) de hac re affert. Qui quamvis se a veterum definitione proficisci dicat, non enuntiatorum rationem grammaticam, sed formam respiciens primum eos locos digerit, ubi „adsunt pronomina aut adverbia pronominalia“; deinde eos tractat, „ubi nulla omnino vox est, quae singula coniungat, enuntiationes autem ipsae per sententiam arctissime cohaerent“; tertio denique loco de illo asyndeti genere agitur, „ubi complura enuntiata, quae nullo alio nexu inter se cohaerent, quam qui particula *καί* exprimi possit, solute unum ad alterum apponuntur.“ At haec ipsa tertii generis asyndeta secundo generi subiungenda erant, quoniam in utroque singula enuntiata verbo coniungente carent. Neque minus erravit, quantum video, vir doctus eas enuntiationes sensu cohaerere negans; unius enim rei partes, quamvis diversae, apparent.

Itaque Seemannus [1]), „cum quodvis asyndeton grammaticum sit, totam eorum copiam secundum quinque genera, quibus enuntiata vel vocabula grammatice paria conectuntur, in genus copulativum et disiunctivum et adversativum et causale et consecutivum“ optime divisit, rectissime generi copulativo asyndeta et enumerativa et augmentativa, generi causali et causalia et explicativa, generi consecutivo et consecutiva et comprehensiva subiungens. Neque habeo, quod singulis singulorum generum definitionibus ab eo statutis addam.

Quod autem ad caput primum attinet, asyndeta enumerativa ita tractabo, ut etiam sententiarum formas respiciens primum quidem ea afferam, quibus complures res in narratione simpliciter enumerantur, tum ea adiungam, quibus iussa, denique ea, quibus interrogationes sibi apponuntur. Asyndetorum deinde augmentativorum primum ea componam, ubi, quod sententia priore iam dictum erat, posteriore idem prolatum est, id quod triplici modo fieri posse videmus, sive unum idemque verbum repetitur, sive aliud aliquod simile ponitur, sive prioris notionis contrarium negatur; sequuntur ea exempla, ubi verborum antecedentium vis sententia subsequente et continetur et augetur. Et in illis autem, quas diximus, tribus prioris speciei partibus et in hac specie eodem modo quo in asyndetis enumerativis sententiarum formae rationem habebo.

[1]) pag. 3.

Pauca illa asyndeta disiunctiva, quae capiti secundo attribuenda sunt, eo discernuntur, quod plurima in utraque sententia, tria in posteriore sola, unum in priore sola interrogationis formam praebent.

Ad caput tertium, quo continentur asyndeta adversativa, accedenti maximi mihi momenti videbatur respicere, utrum altera huius figurae sententia alteri simpliciter opposita esset, ita ut ad asyndeton delendum nihil nisi particula adversativa inserenda esset, an altera sententia non ipsi enuntiato alteri sed cogitationi cuidam supplendae contrarium diceret. Prioris autem ordinis et ea exempla composui, ubi utraque sententia modo indicativo enuntiata est, et ea, ubi alterum iussum alteri oppositum videmus. Alterius autem ordinis asyndeta, quae nobis sententiarum formam respicientibus plurimam varietatem praebent, fore cogitabam, ut tum optime digererentur, cum prius tantum uniuscuiusque exempli enuntiatum spectarem; itaque etiam hic tres tantum partes invenies, prout sententia prior aut modo indicativo, cui pari vi est optativus potentialis, aut modo imperativo, a quo coniunctivus adhortativus non distat, aut interrogationis forma profertur.

In primis illis, de quibus dixi, exemplis, id quod statim hoc loco addere mihi liceat, oppositio logica ex parte haec est, ut subsequente modo indicativo dicendum sit: dico s. video illud (i. e. quod continetur in sententia priore), sed addo e. q. s.; ita ut videmus Andr. 170 sqq.:

ἐς τοῦτο δ᾽ ἥκεις ἀμαθίας, δύστηνε σύ,
ἣ παιδὶ πατρὸς, ὃς σὸν ὤλεσεν πόσιν
τολμᾷς ξυνεύδειν καὶ τέκν᾽ αὐθέντου πάρα
τίκτειν. τοιοῦτον πᾶν τὸ βάρβαρον γένος.

Ubi asyndeto sublato sententias habes oppositas: video te tam dementem esse, ut audeas e. q. s., sed etiam addo: „hoc omnium barbarorum est.“

Simili ratione utaris sequente modo imperativo, nisi quod pro verbis „sed addo“ suppleas „sed iubeo“ vel tale aliquid; cf. Andr. 458 sq.: *νῦν δὲ . . . . κτείνεις μ᾽· ἀπόκτεινε,* nunc te mihi mortem afferentem aspicio, sed iubeo te caedem facere.

Tum cum altera sententia interrogantis est, sumas ex illa: „sed a te quaero hocce“, cuius rei exemplum est Andr. 70 sq.: *πέπυσται τὸν ἐμὸν ἔκθετον γόνον· πόθεν ποτέ;* quod idem est ac: cognosco eum de filio meo exposito audivisse, sed quaero: unde gentium?

Quibus verbis praemissis non opus est accuratius dicere de iis locis, quibus enuntiatum prius alicuius iubentis est. Suppleas enim subsequente modo indicativo: iubeo, sed video, subsequente interrogatione: iubeo, sed quaero; ut autem utraque sententia quidquam iubeatur, hac in parte asyndetorum adversativorum fieri non potest; equidem talia, ne quis artificiosius me explicavisse diceret, priori annumeravi.

In iis denique exemplis, quorum sententia priore aliquid interrogatur, oppositio est: quaero, sed iam intellegens quod quaesivi, dico, aut iubeo, aut potius quaero.

Veniamus ad caput quartum, quo et asyndeta, quae proprie dicuntur causalia, et asyndeta explicativa iure a Seemanno relata esse vidimus. Illorum priorum autem primum ea exempla afferam, ubi sententia posteriore simpliciter causa additur, deinde ea secernam, ubi causam dicit is qui loquitur, cur priora elocutus sit. Quod discrimen valde miror a Seemanno tam leviter tactum esse, ut dicat vir doctus[1]): „Discernere autem duas rationes, secundum quas causa exponitur, aut cur sententia antecedens vera sit, aut cur quis quid dixerit vel interrogaverit vel iusserit vel exclamaverit, nihil expedit, quod ad nostram quaestionem attinet, praesertim cum particulis tale discrimen non exprimatur ac nonnunquam perdifficile sit arte diiudicare.“ Quod enim ad particulas attinet, obiecerim, si hac causa strenue usus esset, etiam asyndeta explicativa ab aliis causalibus ei non secernenda fuisse; de difficultate autem diiudicandi qualia exempla speciei secundae attribuam, certissimum indicium invenisse mihi videor in varietate duorum sententiarum modorum, neque dubitaverim ea huc afferre, quorum alterum enuntiatum aut interrogationem aut iussum contineat. Illa denique exempla, quorum in utraque sententia aliquid aut affirmatum aut negatum videmus, quantum potui, primae rationi attribui eadem causa

¹) pag. 22.

commotus, quam dixi de asyndetis adversativis. — Prioris rationis novae partes fieri non possunt, cum omnia exempla pari modo structa sint, alterius ordinis asyndeta digeram, ut est prior sententia formata. Interpretari autem simili modo debemus quo in genere adversativo.

Asyndeta explicativa iure Seemannus primum ea attulit, ubi quod sententia priore minus dilucide poëta elocutus est, altera multo accuratius explicatur, tum illa, ubi unum praecipue verbum sententia subsequente poëta respicit. Sequar igitur virum doctum, sed ita, ut denuo sententiarum formas non neglegam.

De quinto denique capite, quod asyndeta et consecutiva, quae proprie dicuntur, et comprehensiva complectetur, haec tantum praemiserim. Illius generis exempla eodem modo quo generis causalis dividam; comprehensiva autem digerens formam sententiae posterioris respiciam, ita ut in reliquis capitibus sententiae prioris. Qua figura quoniam complures enuntiationes, quae inter se aut pares aut diversae esse possunt, comprehenduntur, apparet unam ipsam sententiam comprehensivam alicuius momenti esse. Seemannus recte quidem, quae alii de asyndeto demonstrativo statuendo scripserunt, reiecit; sed quod ipse introduxit discrimen, primum ea asyndeta componens, ubi „quae [1]) iam accuratius effusiusve dicta sunt, iterum breviter pronuntiantur vel partes rei cuiusdam tota re, species universo genere comprehenduntur“, tum ea afferens, ubi „antecedentia [2]) una voce comprehenduntur“, probare nequeo. Unam enim vocem comprehensivam, de qua dicit vir doctus, in utriusque partis exemplis legimus; quae autem praeponit verbis modo allatis „aeque atque una vox sequentibus explicatur vel eadem quasi antecapit“, iis eodem iure in parte priore definienda uti potuit. Neque quae addidit huic exemplo [3]): O. C. 480 *τοῦ τόνδε πλήσας θῶ; δίδασκε καὶ τόδε,* verba: „Quodsi transponas duo haec enuntiata, simile illud genus asyndeti causalis est statuendum, quo differentiam horum asyndetorum ab illis cognoscas„, signum afferunt, quoniam nequaquam in omni huius ordinis exemplo duo enuntiata parem transpositionem admittunt.

[1]) pag. 36. [2]) pag. 37. [3]) pag. 37.

Quibus de causis hanc Seemanni partitionem neglegendam putavi.

Haec igitur ratio sit, qua instituta nunc sententiarum asyndeta, quibus Euripidem in fabularum suarum diverbiis usum esse putavi, digeramus; numeri autem erunt Dindorfiani, quales adhibuit vir clarissimus in quinta editione correctiore libri illius notissimi, quem breviter appellamus: Poëtae scaenici graeci.

Caput primum.

Asyndeta copulativa.

§ 1. Asyndeta enumerativa.

a. Plures res inter se diversae in narratione enumerantur.

Alc. 334: *ἅλις δὲ παίδων· τῶνδ᾽ ὄνησιν εὔχομαι θεοῖς γενέσθαι.*

Med. 1018 sq.: *οὔτοι μόνη σὺ σῶν ἀπεζύγης τέκνων. κούφως φέρειν χρὴ θνητὸν ὄντα συμφοράς.*

Hipp. 478 sq.: *εἰσὶν δ᾽ ἐπῳδαὶ καὶ λόγοι θελκτήριοι· φανήσεταί τι τῆςδε φάρμακον νόσου.*

Troad. 1181: *ὄλωλας, ἐψεύσω με.* 1274: *ἔξειμι πατρίδος· πόλις ὑφάπτεται πυρί.*

Hec. 1054 sq.: *οὐ γάρ ποτ᾽ ὄμμα λαμπρὸν ἐνθήσεις κόραις, οὐ παῖδας ὄψει ζῶντας . . .*

Orest. 132 sqq.: *αἵδ᾽ αὖ πάρεισι τοῖς ἐμοῖς θρηνήμασιν φίλαι ξυνῳδοί· τάχα μεταστήσουσ᾽ ὕπνου τόνδε* . . . 380 sq.: *ὅδ᾽ εἰμ᾽ Ὀρέστης . . . . ἑκὼν ἐγώ σοι τἀμὰ σημανῶ κακά.* 422: *ἑκτὸν τόδ᾽ ἦμαρ· ἔτι πυρὰ θερμὴ τάφου.* 561 sq.: *Αἴγισθος ἦν ὁ κρυπτὸς ἐν δόμοις πόσις· τοῦτον κατέκτεινα* . . . 665: *ἐρεῖς ἀδύνατον· αὐτὸ τοῦτο* sc. *καὶ ἔστιν.* 669: *φιλεῖν δάμαρτα πᾶσιν Ἕλλησιν δοκεῖς,* quibus verbis Orestes novam causam inducit, quam respiciens a Menelao salutem sibi fore sperat. 1315 sq.: *στείχει γὰρ ἐςπεσοῦσα δικτύων βρόχους. καλὸν τὸ θήραμ᾽ ἣν ἁλῷ, γενήσεται.*

Phoen. 1193: *ἔθνησκον, ἐξέπιπτον ἀντύγων ἄπο.* 1404 sq. *ἐνθένδε κώπας ἁρπάσαντε φασγάνων ἐς ταὐτὸν ἧκον.*

Heracl. 215 sqq.: *φημὶ γάρ ποτε ξύμπλους γενέσθαι . . . Ἑλλὰς πᾶσα τοῦτο μαρτυρεῖ.* 578: *σοὶ παῖδές ἐσμεν, σαῖν χεροῖν τεθράμμεθα.*

Herc. fur. 7 sq.: *ἔνθεν ἐξέφυ Κρέων.* 1221: *καὶ γάρ ποτ' εὐτύχησ', ἐκεῖσ' ἀνοιστέον.*

Ion 448—451: *τὰς ἡδονὰς γὰρ τῆς προμηθίας πάρος σπεύδοντες ἀδικεῖτ'. οὐκέτ' ἀνθρώπους κακοὺς λέγειν δίκαιον, εἰ τὰ τῶν θεῶν κακὰ μιμούμεθα.*

Hel. 622: *τοῦτ' ἔστ' ἐκεῖνο. ξυμβεβᾶσιν οἱ λόγοι οἱ τῆςδ' ἀληθεῖς.* 858 sq.: *ἐκβαίνει δόμων . . . . Θεονόη· κτυπεῖ δόμος.*

Electra 842 sq.: *πᾶν δὲ σῶμ' ἄνω κάτω ἤσπειρεν, ἠλάλαζεν.*

Bacch. 242: *ἐκεῖνος εἶναί φησι Διόνυσον θεόν.* Pentheus de advena narrare pergit, de quo dixerat versu 240: *λέγουσι δ' ὥς τις εἰςελήλυθε ξένος.* 255 sqq.: *τόνδ' αὖ θέλεις τὸν δαίμον' ἀνθρώποισιν ἐςφέρων νέον . . . μισθοὺς φέρειν. εἰ μή σε γῆρας ἐξερρύετο, καθῆσ' ἂν ἐν βάκχαισι δέσμιος.*

Iphig. Taur. 373 sqq.: *οὐκ ἀνειλόμην χεροῖν . . . οὐ κασιγνήτῃ στόμα ξυνῆψ' ὑπ' αἰδοῦς.* 929: *Μενέλαος ἄρχει. φυγάδες ἐσμὲν ἐκ πάτρας.*

Iphig. Aul. 910 sq.: *ὄνομα γὰρ τὸ σόν μ' ἀπώλεσ' . . . οὐκ ἔχω βωμὸν καταφυγεῖν ἄλλο ἢ τὸ σὸν γόνυ.* 1220: *πρώτη σ' ἐκάλεσα πατέρα καὶ σὺ παῖδ' ἐμέ.* quibus verbis aliam causam affert, qua commota a patre petit ne se ipsam interficiat, postquam v. 1218 sq. ei obiecit: *ἡδὺ γὰρ τὸ φῶς βλέπειν.* 1247—49: *ναὶ πρὸς γενείου σ' ἀντόμεσθα δύο φίλω· ὁ μὲν νεοσσός ἐστιν, ἡ δ' ηὐξημένη. ἓν ξυντεμοῦσα πάντα νικήσω λόγον.*

Cycl. 321: *οὐκ οἶδ' ὅτι Ζεύς ἐστ' ἐμοῦ κρείσσων θεός· οὔ μοι μέλει τὸ λοιπόν.*

Addas Hipp. 401 sq., quem locum legimus in codice Marciano: *κατθανεῖν ἔδοξέ μοι κράτιστον· οὐδεὶς ἀντερεῖ βουλεύμασιν.*[1]), neque deerunt, qui versum Iph. Aul. 354: *ὡς ἄνολβον εἶχες ὄμμα σύγχυσίν τε, μὴ . . .*[2]) sine particula prioribus adiectum retineant.

[1]) cf. pag. 70. [2]) cf. p. 89.

b. Complura imperata continuantur.

Alc. 788: *πῖνε, τὸν καθ' ἡμέραν βίον λογίζου σόν*. 1047: *μή νοσοῦντί μοι νόσον προςθῇς* Quae verba cum hisce: *μή μ' ἀναμνήσῃς κακῶν* (v. 1045) coniungas.

Med. 313: *νυμφεύετ', εὖ πράσσοιτε*. 400 sq.: *φείδου μηδέν, ὧν ἐπίστασαι .... ἕρπ' ἐς τὸ δεινόν*. 623—25: *χώρει .... νύμφευε*. 894—99: *ἐξέλθετ', ἀσπάσασθε .... λάβεσθε χειρὸς δεξιᾶς*. 971—74: *ἐξαιτεῖσθε .... ἴθ' ὡς τάχιστα*. 1245: *λάβ'* (sc. *ξίφος*), *ἕρπε πρὸς βαλβῖδα λυπηρὰν βίου*. 1314 sq.: *χαλᾶτε κλῇδας .... ἐκλύεθ' ἁρμούς*.

Hipp. 300: *φθέγξαι τι· δεῦρ' ἄθρησον*. 304: *ἀλλ' ἴσθι μέντοι, πρὸς τάδ' αὐθαδεστέρα γίγνου θαλάσσης*.

Androm. 260: *σφάζ', αἱμάτου θεᾶς βωμόν*. 722 sq.: *ἕρπε δεῦρ' ὑπ' ἀγκάλας βρέφος, ξύλλυε μητρὸς δεσμά*.

Troad. 880 sq.: *χωρεῖτ' ἐς δόμους ὀπάονες, κομίζετε*. 1246: *χωρεῖτε, θάπτετε*.

Orestes 1258: *χωρεῖτ', ἐπειγώμεσθα*.

Phoen. 1068: *ἀνοίγετ', ἐκπορεύετ' Ἰοκάστην δόμων*. 1070: *ἔξελθ', ἄκουσον*. 1260: *στεῖχ', ἐρήτυσον τέκνα*.

Heracl. 643: *ἔξελθ', ἄκουσον*.

Herc. fur. 520 sq.: *ἐκκρήμνασθε πατρῴων πέπλων· ἴτ', ἐγκονεῖτε*.

Helena 1180: *χαλᾶτε κλῇθρα, λύεθ' ἱππικὰς φάτνας*. 1244: *κτέριζ', ἀνίστη τύμβον*.

Electra 962: *ἐπίσχες, ἐμβάλωμεν εἰς ἄλλον λόγον*.

Bacchae 780 sq.: *στεῖχ' ἐπ' Ἠλέκτρας ἰὼν πύλας· κέλευε πάντας* ... 914: *ἔξιθι πάροιθε δωμάτων, ὄφθητί μοι*.

Iphig. Aul. 435 sq.: *ἐξάρχου κανᾶ, στεφανοῦσθε κρᾶτα*. 1238: *βλέψον πρὸς ἡμᾶς, ὄμμα δὸς φίλημά τε*. 1398: *θύετ', ἐκπορθεῖτε Τροίαν*.

Fragm. 129: *ὦ ξένε, κατοίκτειρόν με τὴν πανάθλιαν, λῦσόν με δεσμῶν*.

Fragm. 362, 50 sq.: *χρῆσθ', ὦ πολῖται, τοῖς ἐμοῖς λοχεύμασιν, σῴζεσθε*.

Fragm. 688, 1 sq.: *πίμπρη, κάταιθε σάρκας, ἐμπλήσθητί μου πίνων κελαινὸν αἷμα*.

Fragm. 779, 9 sq.: *ἵππευε παῖδα νουθετῶν, ἐκεῖσ' ἔλα, τῇδε στρέφ' ἅρμα, τῇδε*.

c. Interrogationes sibi appositae sunt.

Alc. 1131: *θίγω; προςείπω ζῶσαν ὡς δάμαρτ' ἐμήν;*

Med. 85: *τίς δ' οὐχὶ θνητῶν; ἄρτι γιγνώσκεις τόδε;* 880: *τί πάσχω;* quae verba coniungas cum v. 873: *τί μαίνομαι;* 1208 sqq.: *τίς σ' ὧδ' ἀτίμως δαιμόνων ἀπώλεσεν; τίς τὸν γέροντα τύμβον ὀρφανὸν σέθεν τίθησιν;*

Hipp. 801: *ὄλωλεν ἄλοχος; ἐκ τίνος τύχης;*

Androm. 548 sq.: *πῶς τε κἀκ τίνος λόγου νοσεῖ δόμος; τί πράσσετ' ἄκριτα μηχανώμενοι.* 581 sq.: *ἢ τὸν ἀμὸν οἶκον οἰκήσεις μολὼν δεῦρ'; οὐχ ἅλις σοι τῶν κατὰ Σπάρτην κρατεῖν;* 590 sq.: *σὺ γὰρ μετ' ἀνδρῶν, ὦ κάκιστε κἀκ κακῶν; σοὶ ποῦ μέτεστιν ὡς ἐν ἀνδράσιν λόγου;*

Troad. 744: *ὦ παῖ, δακρύεις; αἰσθάνει κακῶν σέθεν;*

Hec. 577 sqq.: *ἕστηκας, ὦ κάκιστε . . . .; οὐκ εἶ τι δώσων;*

Orest. 273 sq.: *οὐκ εἰςακούετ'; οὐχ ὁρᾶθ' ἑκηβόλων τόξων πτερωτὰς γλυφίδας ἐξορμωμένας;* 277 sq.: *τί χρῆμ' ἀλύω πνεῦμ' ἀνεὶς ἐκ πλευμόνων; ποῖ, ποῖ ποθ' ἡλάμεσθα;*

Phoen. 390: *τίς ὁ τρόπος αὐτοῦ; τί φυγάσιν τὸ δυσχερές;* 548 sq.: *κᾆτα ποῦ 'στιν ἡ δίκη; τί τὴν τυραννίδ', ἀδικίαν εὐδαίμονα τιμᾷς ὑπέρφευ;* 1619 sq.: *ἀλλ' ἔτι νεάζων αὐτὸς εὕροιμ' ἂν βίον; πόθεν;*

Heracl. 537 sq.: *τούτων τίς ἂν λέξειε γενναίους λόγους μᾶλλον; τίς ἂν δράσειεν ἀνθρώπων ἔτι;*

Herc. fur. 74 sq.: *ποῖ πατὴρ ἄπεστι γῆς; τί δρᾷ; πόθ' ἥξει;* 143 sq.: *τίν' ἐς χρόνον ζητεῖτε μηκῦναι βίον; τίν' ἐλπίδ', ἀλκήν τ' εἰςορᾶτε μὴ θανεῖν;* 485 sqq.: *ὤμοι, τίν' ὑμῶν πρῶτον ἢ τίν' ὕστατον πρὸς στέρνα θῶμαι; τῷ προςαρμόσω στόμα; τίνος λάβωμαι; πῶς ἂν ὡς ξουθόπτερος μέλισσα συνενέγκοιμ' ἂν ἐκ πάντων γόους;* 712: *ποῦ δῆτα Μεγάρα; ποῦ τέκν' Ἀλκμήνης γόνου;* 714: *τί χρῆμα; δόξης τῆςδ' ἔχεις τεκμήριον;* 1174 sq.: *τίς τάδ' ἔκτεινεν τέκνα; τίνος γεγῶσαν τήνδ' ὁρῶ συνάορον;* 1316 sq.: *οὐ λέκτρα . . . ξυνῆψαν; οὐ δεσμοῖσι διὰ τυραννίδας πατέρας ἐκηλίδωσαν;*

Ion 258 sq.: *τίς δ' εἶ; πόθεν γῆς ἦλθες; ἐκ ποίου πατρὸς πέφυκας; ὄνομα τί σε καλεῖν ἡμᾶς χρεών;* 345: *παῖς ποῦ 'στιν; εἰςορᾷ φάος;* 932: *ποῖον τεκεῖν φῂς παῖδα; ποῦ*

ʼκθεῖναι πόλεως θηρσὶν φίλον τύμβευμα; 1344: νῦν δʼ οὐχὶ χρήζει; τῷ τόδε γνῶναί με χρή;

Helena 83: τίς δʼ εἶ; πόθεν γῆς τῆσδʼ ἐπεστράφης πέδον; 86: τίς εἶ, πόθεν, τίνος σʼ αὐδᾶν χρεών; 473: πόθεν μολοῦσα; τίνα τὸ πρᾶγμʼ ἔχει λόγον; 541 sqq.: ἔα, τίς οὗτος; οὔ τί που κρυπτεύομαι . . .; οὐχ ὡς δρομαία πῶλος ἢ βάκχη θεοῦ τάφῳ ξυνάψω κῶλον; 780: πῶς φής; τί λέξεις; 1202: τίς ἔστι; ποῦ ʼστιν;

Electra 600 sqq.: ἔστιν τί μοι κατʼ Ἄργος εὐμενὲς φίλων, ἢ πάντʼ ἀνεσκευάσμεθʼ, ὥςπερ αἱ τύχαι; τῷ ξυγγένωμαι; νύχιος ἢ καθʼ ἡμέραν; ποίαν ὁδὸν τραπώμεθʼ εἰς ἐχθροὺς ἐμούς; 765: τίς δʼ εἶ σύ; πῶς μοι πιστὰ σημαίνεις τάδε; 908: ποίας τελευτάς; τίνα μέσον τάξω λόγον; 1088 sqq.: ἐγὼ τί σʼ ἠδίκησʼ ἐμός τε σύγγονος; πῶς οὐ πόσιν κτείνασα πατρῴους δόμους ἡμῖν προςῆψας;

Bacchae 253 sq.: οὐκ ἀποτινάξεις κισσόν; οὐκ ἐλευθέραν θύρσου μεθήσεις χεῖρα; 1287: τίς ἔκτανέν νιν; πῶς ἐμὰς ἦλθεν χέρας;

Iphig. Taur. 549: τέθνηκε; ποίᾳ συμφορᾷ; 772: ποῦ δʼ ἔστʼ ἐκείνη; κατθανοῦσʼ ἥκει πάλιν; 1153 sqq.: ποῦ ʼσθʼ ἡ πυλωρὸς τῶνδε δωμάτων γυνὴ Ἑλληνίς; ἤδη τῶν ξένων κατήρξατο, ἀδύτοις τʼ ἐν ἁγνοῖς σῶμα λάμπονται πυρί; 1358 sqq.: τίνι λόγῳ πορθμεύετε . . .; τίνος τίς ὢν σὺ τήνδʼ ἀπεμπολᾷς χθονός;

Iphig. Aul. 381 sqq.: τί δεινὰ φυσᾷς, αἱματηρὸν ὄμμʼ ἔχων; τίς ἀδικεῖ σε; τοῦ κέχρησαι; λέκτρα χρήστʼ ἐρᾷς λαβεῖν; 454 sq.: εἶεν, τί φήσω πρὸς δάμαρτα τὴν ἐμήν; πῶς δέξομαί νιν; ποῖον ὄμμα συμβαλῶ; 815 sq.: τί μένομεν; ποῖον χρόνον ἔτʼ ἐκμετρῆσαι χρή;

Cycl. 275 sq.: πόθεν ἐπλεύσατʼ, ὦ ξένοι; ποδαποί; τίς ὑμᾶς ἐξεπαίδευσεν πόλις;

Fragm. 1: ποίαν σε φῶμεν γαῖαν ἐκλελοιπότα πόλει ξενοῦσθαι τῇδε; τίς πάτρας ὅρος; τίς ἐσθʼ ὁ φύσας; τοῦ κεκήρυξαι πατρός;

Fragm. 242, 2 sq.: τίς δʼ ἄμοχθος εὐκλεής; τίς τῶν μεγίστων δειλὸς ὢν ὠρέξατο;

§ 2. Asyndeta augmentativa.

A. Quod sententia priore dictum est, idem posteriore profertur.

I. Ipsum verbum repetitur.

a. Verbum modo indicativo positum est.

Alc. 328: ἔσται τάδ', ἔσται. 1017: καὶ μέμφομαι μὲν, μέμφομαι παθὼν τάδε.

Orest. 1143: οὐ δεῖ ποτ', οὐ δεῖ Μενέλεων μὲν εὐτυχεῖν.

Herc. fur. 989: σός εἰμι, σὸν παῖδ', οὐ τὸν Εὐρυσθέως ὀλεῖς.

Ion 425: ἔσται τάδ', ἔσται.

Bacchae 1065: κατῆγεν, ἦγεν, ἦγεν ἐς μέλαν πέδον.

Iph. Aul. 652: οὐκ οἶδ' ὅ τι φῄς, οὐκ οἶδα, φίλτατ' ἐμοὶ πάτερ.[1])

Fragm. 288, 2: οὐκ εἰσίν, οὐκ εἴσ', εἴ τις ἀνθρώπων θέλει . . . .

b. Imperativum repetitum videmus.

Med. 711: οἴκτειρον, οἴκτειρόν με τὴν δυσδαίμονα. 1076: χωρεῖτε, χωρεῖτ'· οὐ γὰρ . . . 1244 sq.: ἄγ', ὦ τάλαινα χεὶρ ἐμή, λαβὲ ξίφος, λάβ', ἕρπε . . . .

Orest. 1311: σιγᾶτε, σιγᾶτ'· ᾐσθόμην . . . 1349: ἔχεσθ', ἔχεσθε.

Phoen. 584: μέθετον τὸ λίαν, μέθετον. 1280: ἔπειγ', ἔπειγε.

Heracl. 307: δότ', ὦ τέκν', αὐτοῖς χεῖρα δεξίαν, δότε.

Ion 738: ἕλχ', ἕλκε πρὸς μέλαθρα καὶ κόμιζέ με.

Electra 679: ἄμυν', ἄμυνε τοῖςδε φιλτάτοις τέκνοις.

Bacchae 1216 sq.: ἕπεσθέ μοι φέροντες ἄθλιον βάρος Πενθέως, ἕπεσθε, πρόςπολοι δόμων πάρος.

Fragm. 418, 1: φειδώμεθ' ἀνδρῶν εὐγενῶν, φειδώμεθα.

c. Eandem interrogationem bis legimus.

Med. 468: ἦλθες πρὸς ἡμᾶς, ἦλθες ἔχθιστος γεγώς;

II. Elocutio altera alteri idem fere significat.

a. Sententia utraque narrantis est.

Alc. 531: γυνή (sc. τέθνηκεν)· γυναικὸς ἀρτίως μεμνήμεθα.

[1]) cf. pag. 87.

Hipp. 354 sq.: *γυναῖκες, οὐκ ἀνασχέτ᾽, οὐκ ἀνέξομαι ζῶσα.*

Andr. 435: *δόλῳ μ᾽ ὑπῆλθες· ἠπατήμεθα.* 1077: *οὐδέν εἰμ᾽· ἀπωλόμην.*

Hec. 668: *ὄλωλας, οὐκέτ᾽ εἶ βλέπουσα φῶς.* 683: *ἀπωλόμην δύστηνος· οὐκέτ᾽ εἰμὶ δή.*

Phoen. 919: *οὐκ ἔκλυον, οὐκ ἤκουσα.*

Ion 1411: *ἐς τοῦθ᾽ ἱκοίμην, τοῦδε τοξεύω, τέκνον.*

Hel. 279: *οὗτος τέθνηκεν, οὗτος οὐκέτ᾽ ἐστὶ δή.* 1194: *ὄλωλα· φροῦδα τἀμά.*

b. Sententia utraque imperantis est.

Med. 894 sq.: *δεῦτε, λείπετε στέγας, ἐξέλθετ᾽, ἀσπάσασθε ...* 971: *ἱκετεύετ᾽, ἐξαιτεῖσθε.* 1057: *ἔασον αὐτούς . . . φεῖσαι τέκνων.*

Hec. 439: *ὦ θύγατερ, ἅψαι μητρός, ἔκτεινον χέρα.* 507: *σπεύδωμεν, ἐγκονῶμεν.* 532 sq.: *σιγᾶτ᾽ Ἀχαιοί, σῖγα πᾶς ἔστω λεώς. σῖγα, σιώπα.* 1125: *σήμηνον, εἰπέ, ποῦ . . .*

Orest. 231: *ἐς ὀρθὸν στῆσον, ἀνακύκλει δέμας.*

Phoen. 834 sqq.: *ἡγοῦ πάροιθε . . . . πρόβαινε.* 1682: *ἴθ᾽, ... λίπε χθόνα.*

Suppl. 669 sq.: *σιγᾶτε, λαοί, σῖγα Καδμείων στίχες, ἀκούσατε.*

Heracl. 635: *ἔπαιρε νῦν σεαυτόν, ὄρθωσον κάρα.*

Herc. fur. 837: *ἔλαυνε, κίνει.*

Iph. Taur. 67: *ὅρα, φυλάσσου.*[1] 1229: *φεύγετ᾽, ἐξίστασθε.*

Cycl. 624: *σιγᾶτε πρὸς θεῶν, θῆρες, ἡσυχάζετε.*

Fragm. 935, 3: *τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ᾽ ἡγοῦ θεόν.*

c. Sententia utraque interrogantis est.

Hipp. 571: *τίνα θροεῖς αὐδάν; τίνα βοᾷς λόγον;*

Orest. 401: *ἤρξω δὲ λύσσης πότε; τίς ἡμέρα τότ᾽ ἦν;* 732: *τί τάδε; πῶς ἔχεις; τί πράσσεις;*

Phoen. 412: *ποῖον; τί τοῦτ᾽ ἔλεξας;* 915: *τί φῄς; τίν᾽ εἶπας τόνδε μῦθον, ὦ γέρον;*

Ion 623 sqq.: *τίς γὰρ μακάριος, τίς εὐτυχής, ὅστις δεδοικὼς καὶ περιβλέπων βίαν αἰῶνα τείνει;*

---

[1]) cf. pag. 86

Hel. 471: *πῶς φῄς; τίν' εἶπας μῦθον;* 483: *τί φῶ; τί λέξω;*

Bacch. 184 sq.: *ποῖ δεῖ χορεύειν; ποῖ καθιστάναι πόδα καὶ κρᾶτα σεῖσαι πολιόν;* 1321: *λέγων, τίς ἀδικεῖ, τίς σ' ἀτιμάζει;*

Iph. Aul. 1026 sq.: *ποῦ σ' αὖθις ὀψόμεσθα; ποῦ χρή μ' ἀθλίαν ἐλθοῦσαν εὑρεῖν σὴν χέρ' ἐπίκουρον κακῶν;*

Cycl. 210: *τί φάτε, τί λέγετε;*

Fragm. 1, 3: *τίς ἐσθ' ὁ φύσας; τοῦ κεκήρυξαι πατρός;*

III. Altera sententia alterius contrarium negatur.

a. In utraque verbi modus indicativus vel in alterutra optativus potentialis est.

Rhes. 170: *ἀλλ' ἔστ' ἐν οἴκοις, οὐ βίου σπανίζομεν.* 271: *σκαιοὶ βοτῆρές ἐσμεν· οὐκ ἄλλως λέγεις.* 835 sqq.: *σὺ ταῦτ' ἔδρασας· οὐδέν' ἂν δεξαίμεθα .... ἄλλον.*

Alcest. 392: *βέβηκεν, οὐκέτ' ἔστιν Ἀδμήτου γυνή.* 825: *ἀπωλόμεσθα πάντες, οὐ κείνη μόνη.*

Med. 792 sq.: *τέκνα γὰρ κατακτενῶ τἄμ'· οὔτις ἐστίν, ὅςτις ἐξαιρήσεται.*

Hec. 668: *δέσποιν', ὄλωλας, οὐκέτ' εἶ βλέπουσα φῶς.*[1] 1194: *κακῶς δ' ἀπώλοντ', οὔτις ἐξήλυξέ πω.*

Heracl. 821: *ἔσφαζον, οὐκ ἔμελλον.* 975: *φιλῶ πόλιν τήνδ', οὐδὲν ἀντιλεκτέον.*

Ion 514: *ἐν δόμοις ἔστ', ὦ ξέν', οὔπω δῶμ' ὑπερβαίνει τόδε.*

Helen. 1105 sq.: *τἄλλα γ' ἡδίστη θεῶν πέφυκας ἀνθρώποισιν· οὐκ ἄλλως λέγω.* 1638: *ἀρχόμεσθ' ἄρ'· οὐ κρατοῦμεν.*

Electra 356: *ἴσασιν, οὐδὲν τῶνδ' ἔχουσιν ἐνδεές.* 1035: *μῶρον μὲν οὖν γυναῖκες· οὐκ ἄλλως λέγω.*

Bacch. 659: *ἡμεῖς δέ σοι μενοῦμεν, οὐ φευξούμεθα.*

Iph. Taur. 1169: *ἥδ'* (sc. *αἰτία ἐστίν*)*· οὐδὲν ἄλλο.*

Iph. Aul. 504: *γενναῖ' ἔλεξας, προγόνους οὐ καταισχύνεις σέθεν.*

Fragm. 608, 1 sq.: *τὸ δ' ἔσχατον δὴ τοῦτο θαυμαστὸν βροτοῖς, τυραννίς· οὐχ εὕροις ἂν ἀθλιώτερον.*

---

[1] cf. pag. 74.

b. In utraque sententia modus aut coniunctivus aut imperativus legitur.

Med. 321: *ἀλλ' ἔξιθ' ὡς τάχιστα, μὴ λόγους λέγε.* Apparet enim verbis *μὴ λόγους λέγε* poëtam hoc dicere voluisse: „ne moram fac", id quod est contrarium verborum priorum. 961: *σῶζε, μὴ δίδου, τάδε.*

Andr. 550: *ἐπίσχες, μὴ τάχυν' ἄνευ δίκης.*

Troad. 458: *χαῖρέ μοι, μῆτερ, δακρύσῃς μηδὲν*[1] . . . . 1285: *ἄλλ' ἄγεσθε, μὴ φείδεσθε.*

Hec. 387: *κεντεῖτε, μὴ φείδεσθε.* 1044: *ἄρασσε, φείδου μηδέν.*

Orestes 137: *χωρεῖτε, μὴ ψοφεῖτε.*

Phoen. 385: *ἀλλ' ἐξερώτα, μηδὲν ἐνδεὲς λίπῃς.* 990: *χώρει, μὴ τὸ σὸν κωλυέτω.*

Heracl. 654: *θάρσει, γεραία, μὴ τρέσῃς.*

Herc. fur. 521: *ἴτ', ἐγκονεῖτε, μὴ μεθῆτε.* 1400: *ἔκμασσε, φείδου μηδέν.*

Electra 220: *μέν', ὦ τάλαινα, μὴ τρέσῃς ἐμὴν χέρα.* 223: *ἄπελθε, μὴ ψαῦ', ὧν σε μὴ ψαύειν χρεών.*

B. Verborum priorum vis sententia subsequente et continetur et augetur.

a. Verba narrationis sunt.

Hec. 583 sq.: *δεινόν τι πῆμα Πριαμίδαις ἐπέζεσε . . . . θεῶν ἀναγκαῖον τόδε.*[2]

Phoen. 1252 sq.: *νῦν πόλεως ὑπερμαχεῖς, νῦν καλλίνικος γενόμενος σκήπτρων κρατεῖς.*

Hipp. 356 sq.: *ῥίψω, μεθήσω σῶμ', ἀπαλλαχθήσομαι βίου.*

Heracl. 602: *οἰχόμεσθα, λύεται μέλη λύπῃ.*

Herc. fur. 281: *πῶς γὰρ οὐ φιλῶ, ἅτικτον, ἁμόχθησα;*

Iphig. Aul. 944 sq.: *ἐγὼ κάκιστος ἦν ἀρ' Ἀργείων ἀνήρ, ἐγὼ τὸ μηδέν.*

Cycl. 465: *γέγηθα, μαινόμεσθα.*

b. Iussus verbis acrioribus repetitur.

Troad. 756 sq.: *μητέρ' ἀσπάζου σέθεν, πρόςπιτνε τὴν τεκοῦσαν.* 769: *ἀλλ' ἄγετε, φέρετε, ῥίπτετε.*

---

[1]) cf. p. 73. [2]) cf. p. 74.

Hec. 286 sq.: *ἀλλ', ὦ φίλον γένειον, αἰδέσθητί με, οἴκτειρον.*

Orest. 124: *ἴθ', ὦ τέκνον μοι, σπεῦδε.* 1258: *χωρεῖτ', ἐπειγώμεσθα*

Herc. fur. 494: *ἄρηξον, ἐλθὲ κἂν σκιὰ φάνηθί μοι.* 521: *ἴτ', ἐγκονεῖτε.* 1226 sq.: *ἀνίστασ', ἐκκάλυψον ἄθλιον κάρα, βλέψον πρὸς ἡμᾶς.* 1390: *κείρασθε, συμπενθήσατ', ἔλθετ' ἐς τάφον.*

Ion. 1348: *λέγε, πέραινε σοὺς λόγους.*

Bacch. 173: *ἴτω τις, εἰςάγγελλε.*

Iphig. Aul. 1242: *συνδάκρυσον, ἱκέτευσον πατρός.*

c. Utriusque sententiae forma interrogationis est.

Rhes. 149 sqq.: *τίς δῆτα Τρώων .... θέλει κατόπτης ναῦς ἐπ' Ἀργείων μολεῖν; τίς ἂν γένοιτο τῆςδε γῆς εὐεργέτης;*

Alc. 482: *καὶ ποῖ πορεύει; τῷ συνέζευξαι πλάνῳ;*[1] 689: *τί δῆτά σ' ἠδίκηκα; τοῦ σ' ἀποστερῶ;*

Med. 386 sqq.: *τίς με δέξεται πόλις; τίς γῆν ἄσυλον καὶ δόμους ἐχεγγύους ξένος παρασχὼν ῥύσεται τοὐμὸν δέμας;* 1040 sq.: *τί προςδέρκεσθέ μ' ὄμμασιν, τέκνα; τί προςγελᾶτε;*

Hipp. 780 sq.: *οὐ σπεύσετ'; οὐκ οἴσει τις ἀμφιδέξιον σίδηρον;* 909: *τί χρῆμα πάσχει; τῷ τρόπῳ διόλλυται;*

Andr. 66: *τί δρῶσι; ποίας μηχανὰς πλέκουσιν αὖ;*

Hec. 1122 sq.: *σὺ τοὔργον εἴργασαι τόδ', ὡς λέγει; σύ, τόλμαν, Ἑκάβη, τήνδ' ἔτλης ἀμήχανον;*

Orest. 395: *τί χρῆμα πάσχεις; τίς σ' ἀπόλλυσιν νόσος;*

Suppl. 1064: *τί φῄς; τί τοῦτ' αἴνιγμα σημαίνεις σαθρόν;*

Heracl. 661 sqq.: *ἀτὰρ τί χώρᾳ τῇδε προςβαλὼν πόδα παῖς νῦν ἄπεστι; τίς νιν εἶργε συμφορὰ ξὺν σοὶ φανέντα δεῦρ' ἐμὴν τέρψαι φρένα;*

Herc. fur. 532: *ἥκεις; ἐσώθης εἰς ἀκμὴν ἐλθὼν φίλοις;* 1144: *ποῦ δ' οἶστρος ἡμᾶς ἔλαβε; ποῦ διώλεσεν;*

Ion 931: *τί φῄς; τίνα λόγον Λοξίου κατηγορεῖς;*

Hel. 557: *τίς εἶ; τίν' ὄψιν σήν, γύναι, προςδέρκομαι;*

---

[1]) cf. p. 65.

Caput alterum.

Asyndeta disiunctiva.

a. Utraque sententia interrogationis formam praebet.

Alc. 675—78: *ὦ παῖ, τίν' αὐχεῖς, πότερον Λυδὸν ἢ Φρύγα κακοῖς ἐλαύνειν ἀργυρώνητον σέθεν; οὐκ οἶσθα Θεσσαλόν με κἀπὸ Θεσσαλοῦ πατρὸς γεγῶτα γνησίως ἐλεύθερον;* 858 sq.: *τίς τοῦδε μᾶλλον Θεσσαλῶν φιλόξενος; τίς Ἑλλάδ' οἰκῶν;*

Andr. 348 sqq.: *ὦ τλήμων ἄνερ, κακῶν τοσούτων οὐχ ὁρᾷς ἐπιρροάς; πόσας ἂν εὐνὰς θυγατέρ' ἠδικημένην βούλοι' ἂν εὑρεῖν ἢ παθεῖν ἁγὼ λέγω;* 388 sq.: *ποίαν πόλιν προύδωκα; τίνα σῶν ἔκτανον παίδων ἐγώ;*

Orest. 467 sqq.: *τίνα σκότον λάβω προσώπῳ; ποῖον ἐπίπροσθεν νέφος θῶμαι, γέροντος ὀμμάτων φεύγων κόρας;*

Herc. fur. 1301: *τί δῆτά με ζῆν δεῖ; τί κέρδος ἕξομεν βίον γ' ἀχρεῖον ἀνόσιον κεκτημένοι;*

Iphig. Taur. 507: *ἆρ' εἰσίν; ἆρ' οὐκ εἰσίν;*

Iphig. Aul. 801 sqq.: *ποῦ τῶν Ἀχαιῶν ἐνθάδ' ὁ στρατηλάτης; τίς ἂν φράσειε προςπόλων τὸν Πηλέως ζητοῦντά νιν παῖδ' ἐν πύλαις Ἀχιλλέα;*

Nescio an Geelium sequaris legentem versus Phoen. 549 sqq.: *τί τὴν τυραννίδ', ἀδικίαν εὐδαίμονα τιμᾷς ὑπέρφευ καὶ μέγ' ἥγησαι τόδε περιβλέπεσθαι τίμιον;* [1])

b. Sententia prior interrogatio non est.

Rhes. 267 sqq.: *καὶ γὰρ σὺ ποίμνας δεσπόταις τελεσφόρους ἥκειν ἔοικας ἀγγελῶν, ἵν' οὐ πρέπει. οὐκ οἶσθα δῶμα τοὐμὸν ἢ θρόνους πατρός, οἷ χρῆν γεγωνεῖν σ' εὐτυχοῦντα ποίμνια;*

---

[1]) cf. p. 76.

Suppl. 531 sqq.: *ἐάσατ' ἤδη γῇ καλυφθῆναι νεκρούς . . . δοκεῖς κακουργεῖν Ἄργος οὐ θάπτων νεκρούς;*

Fragm. 1060: *θνητὸς γὰρ ὢν καὶ θνητὰ πείσεσθαι δόκει· θεοῦ βίον ζῆν ἀξιοῖς ἄνθρωπος ὤν;*

Non omittenda mihi videntur verba, quae sunt Med. 1296 sqq.: *δεῖ γάρ νιν ἤτοι γῆς σφε κρυφθῆναι κάτω . . . . πέποιθ' ἀποκτείνασα κοιράνους χθονὸς ἀθῷος αὐτὴ τῶνδε φεύξεσθαι δόμων;*[1])

c. Sententia posterior interrogatio non est.

Cycl. 210 sq.: *τί λέγετε; τάχα τις ὑμῶν τῷ ξύλῳ δάκρυα μεθήσει.* Quo in exemplo verba priora non tam interrogantis quam imperantis sunt.

[1]) cf. pag. 69.

Caput tertium.

Asyndeta adversativa.

A. Altera sententia alteri simpliciter opposita est.

a. Utraque sententia modo indicativo enuntiata est.

Rhes. 841 sq.: *τεθνᾶσιν· εὐπρεπέστερον Πάρις ξενίαν κατῄσχυν᾽ ἢ σὺ συμμάχους κτανών.*

Alc. 629 sqq.: *οὔτ᾽ ἦλθες . . . . τότε συναλγεῖν χρῆν.* 728: *ἥδ᾽ οὐκ ἀναιδής· τήνδ᾽ ἐφεῦρες ἄφρονα.* 1017 sq.: *μέμφομαι παθὼν τάδε· οὐ μήν σε λυπεῖν ἐν κακοῖσι βούλομαι.*

Med. 306 sq.: *σὺ δ᾽ οὖν φοβεῖ με, μή τι πλημμελὲς πάθῃς· οὐχ ὧδ᾽ ἔχει μοι . . .*

Hipp. 797 sq.: *οὐκ ἐς γέροντας ἥδε σοι τείνει τύχη, Θησεῦ· νέοι θανόντες ἀλγύνουσί σε.*

Brunckii emendationem *πικρὰν θέαν* pro *τὴν δυσδαίμονα,* quod habent *M A P C* (superscripto in *A τὴν δυστυχῆ*), accipiens Dindorfius ita scribit. Nauckius *δυσδαίμονα* retinens versum 810 aut corruptum aut amovendum dicit; Weilius Brunckium secutus observat: „Si on veut conserver *δυσδαίμονα,* il faut placer 810 immédiatement après 807; *θεωρὸς γυναικός* serait alors un douleureux jeu de mots.“ Accuratius de hoc loco disputavit Gloëlius, qui v. 809 remoto omnia optime se habitura esse sperat non dubitans, ut ait, *γυναικὸς* cum *πυλωμάτων* coniungere. Sed quamvis hoc fieri posse demonstraverit vir doctus, tamen sententia nimis frigida esset. Itaque una cum Gloëlio[1]) interpolationem, sed aliorum verborum agnoscens coniecturaque Reiskii usus locum sic restituerim:

χαλᾶτε κλῇδας, ὡς ἴδω δυσδαίμονα
νέκυν γυναικός, ἥ θανοῦσά μ' ὤλεσεν.

Facillime enim scriba verbis illis *χαλᾶτε κλῇδας* addere potuit *πρόσπολοι, πυλωμάτων ἐκλύσαθ' ἁρμούς,* verba e loco simillimo Med. 1314 sq., ut recte monet Gloëlius, translata.

---

[1]) H. Gloël: De interpolatione Hippolyti fabulae Euripideae. Halis 1879, pag. 18 sq.

856 sq.: *τί δή ποθ' ἥδε δέλτος ἐκ φίλης χερὸς ἠρτημένη; θέλει τι σημῆναι νέον;*

Nemo non sentit quantum haec distinctio ei praeferenda sit, qua utitur Weilius: *τί δή ποθ' ἥδε δέλτος . . . ἠρτημένη θέλει τι σημῆναι νέον;* Dubitari enim non potest, quin illae sententiae breves et abruptae animo Thesei valde perterrito optime conveniant. Musgravius voluit: *τί δή ποθ' . . . θέλει; τί σημανεῖ νέον;* quae respiciens et traditam lectionem servans scribas: *θέλει τί σημῆναι νέον;*

Androm. 330 sqq.:

ἔξωθέν εἰσιν οἱ δοκοῦντες εὖ φρονεῖν
λαμπροί, τὰ δ' ἔνδον πᾶσιν ἀνθρώποις ἴσοι
πλὴν εἴ τι πλούτῳ· τοῦτο δ' ἰσχύει μέγα.
Μενέλαε, φέρε δὴ διαπεράνωμεν λόγους.

Optimo iure Dobreeus, Nauckius, Kirchhoffius alii versus 330—332 spurios notavisse mihi videntur, Dindorfius autem erravisse obiciens fieri illud non posse „propter verba v. 333: *φέρε δὴ διαπεράνωμεν λόγους,* quae non apta sunt, nisi post vv. 324—329 adiecta quaedam fuerunt, a quibus ad rem praesentem nunc se redire illis verbis significat Andromacha."

361 sqq.:

ἡμεῖς μὲν οὖν τοιοίδε· τῆς δὲ σῆς φρενὸς
ἓν σου δέδοικα· διὰ γυναικείαν ἔριν
καὶ τὴν τάλαιναν ὤλεσας Φρυγῶν πόλιν.

Totus Meklero [1]) assentior, neque *ἓν* recte interpretari interpretes neque *σοῦ* qua ratione cum *σῆς φρενός* coniungatur, intellegi. Quod autem ipse ad locum explicandum protulit, permirum mihi videtur. „Das Ganze", inquit, „leidet unter der Verderbniss und Lückenhaftigkeit des Textes; das Verdammungsurtheil, das Andromache gegen Menelaus schleudert, kehrt sich gegen seine Verblendung, seine Thorheit, die ihn um seines Weibes willen Gut und Blut vieler Tausende opfern liess:

ἡμεῖς μὲν οὖν τοιοίδε· τῆς δὲ σῆς φρενὸς
πῶς οὐ δέδοικα [μωρίαν, ὃς μυρίους

---

[1]) Mekler: Euripidea. Wien 1879, pag. 45 sq.

ἔφθειρας ἄνδρας] διὰ τιν' Ἰδαίαν ἔριν
καὶ τὴν τάλαιναν ὤλεσας Φρυγῶν πόλιν.

Aus *TINA IΔAIAN* erklärt sich das überlieferte *ΓYNAI-KEIAN* leicht." At re verane adeo de hoc loco restituendo desperandum est? Nam ut non dicam Meklerum coniectura posuisse πῶς οὐ pro ἕν σου et τιν' Ἰδαίαν pro γυναικείαν, verba illa addita, quamvis acute excogitata sint, probabilitatis speciem fere nullam prae se ferunt, neque ullo modo iis opus est. Multo facilius locum restitui posse arbitror scribentibus nobis:

ἡμεῖς μὲν οὖν τοιοίδε· τὴν δὲ σῆς φρενὸς
φύσιν δέδοικα· διὰ γυναικείαν ἔριν
καὶ τὴν τάλειναν ὤλεσας Φρυγῶν πόλιν.

Respicit enim Andromache ad verba illa priora, quibus viris mulieres utpote malum aeternum opponit, quarum mores nunquam illi suos facere debeant, vss. 354 sq.:

οὐδ' (sc. χρή), εἰ γυναῖκές ἐσμεν ἀτηρὸν κακόν,
ἄνδρας γυναιξὶν ἐξομοιοῦσθαι φύσιν.

Ironia igitur, qua acerbior cogitari non potest, Menelai animum maxime timendum esse dicit, cum rixae muliebris causa Troiam urbem miseram delens iam satis demonstraverit, quantum ipse mulieribus similis factus esset. Itaque, ut alterum locum ad alterum pertinere quam certissime cognoscamus, γυνεικείαν ἔριν quae verba nimis vaga Meklerus dicit, omni modo retinenda esse mihi videntur.

Nauckius proponit in adnotatione critica:

τὸ δυσμενὲς δέδοικα· διὰ γυναῖκα γὰρ . . .
948: ἡ μέν τι κερδαίνουσα συμφθείρει λέχος,
ἡ δ' ἀμπλακοῦσα συννοσεῖν αὐτῇ θέλει,
πολλαὶ δὲ μαργότητι.

Oeri[1]) et hos et sequentes versus (947—53) spurios amovet. Sed cum exponit vir doctus: „Sie sind aber nicht bloss unnöthig, sondern auch unpassend; denn die Frauen, deren Umgang mit der Hausfrau dem ehelichen Glück gefährlich sein soll, sind darin, wie aus 947—9 hervorgeht, als Verführerinnen zum

[1]) Oeri: Interpolation und Responsion in den iambischen Partien der Andromache des Euripides. Berlin 1882.

Ehebruch gedacht, und solche sind wieder der Hermione nicht gefährlich geworden", haec causa mihi non sufficit ad eos delendos. Nam quoniam verba illa non ad Andromachen, sed ad Orestem dicta sunt eademque Hermione tum eloquitur, cum ipsam facti iam poenitet, aptissime poëta mulierem fingere potuit non solum de iis quae ipsa subierat periculis iram moventem, sed etiam alia, qualiacunque connubio prospero obstant, commemorantem.

1272: *ψῆφος κέκρανται, κατθανεῖν ὀφείλεται.*

Audiamus Hermannum: „Deinde libri *κατθανεῖν τ' ὀφείλεται* praeter Par., in quo *τ'* omissum. Eum codicem recte cum Brunckio Matthiae aliique secuti sunt, nisi forte Euripides elegantius scripsit *κατθανεῖν ὀφειλέταις.*" Lentingius, Dindorfius, Nauckius, Kirchhoffius particulam receperunt; nos omittamus.

Troades 458: *χαῖρέ μοι, μῆτερ, δακρύσῃς μηδέν· ὦ φίλη πατρίς.*

Hermannus verba *δακρύσῃς μηδέν* ut in parenthesi prolata putans *χαῖρε* etiam ad patriam et fratres et patrem retulit, id quod probavit Matthiae. Tamen Dindorfio, Kirchhoffio aliis assentire malim, verba *χαῖρε . . . μηδέν* arctissime inter se cohaerentia unius sententiae vice fungi, quae autem sequantur, *ὦ φίλη πατρίς*, ab ea seiungenda existimans, utpote verba pro exclamatione per se posita.

661 sq.: *ἀπέπτυσ' αὐτήν, ἥτις ἄνδρα τὸν πάρος*
καινοῖσι λέκτροις ἀποβαλοῦσ' ἄλλον φιλεῖ.

Ut persuasum mihi est, Dindorfium totum locum ab versu 656 usque ad versum 667 eicientem nimis modum excessisse, ita pro certo habeo, verum vidisse Nauckium hosce duos versus notantem, erravisse autem Kirchhoffium eos recipientem.

Hecuba 583 sq.:
δεινόν τι πῆμα Πριαμίδαις ἐπέζεσε
πόλει τε τὴμῇ· θεῶν ἀναγκαῖον τόδε.

Hermannus, Kirchhoffius, Weilius, alii his duobus versibus unam tantum sententiam contineri volunt; at Porsono, Dindorfio, aliis consentio, qui viri docti verba *θεῶν ἀναγκαῖον τόδε* seiungunt, hac ratione multo maiorem vim iis attribuentes.

626 sq.: *τὰ δ' οὐδὲν ἀλλ' ἢ φροντίδων βουλεύματα γλώσσης τε κόμποι. κεῖνος ὀλβιώτατος . . .*

Sic Reiskius verba tradita *τάδ' οὐδέν· ἄλλως* . . ., quae quam dura sint, nemo non sentit, optime emendavit; quod autem Nauckius in altero versu proposuit *κεῖνο δ' ὀλβιώτατον*, haec verba prioribus ita opposita esse putans, ut vix aliter nisi particula *δέ* annecti possint, hac mutatione non opus erat. Quin etiam non modo non opposita mihi videntur prioribus, immo indicari his verbis existimo, quid Hecuba ex illis colligere voluerit.

668: *δέσποιν', ὄλωλας, οὐκέτ' εἶ βλέπουσα φῶς.*

Matthiae, Kirchhoffius, Weilius, Dindorfius hanc codicum *A F* scripturam illi quam praebent ceteri, *κοὐκέτ'*, praetulerunt. Porsonus particulam non omissam esse dolens e praecedente *Σ* natam esse suspicatur; Hermannus autem adeo non probat asyndeton, ut non solum hoc loco quippe quo narratio ordiatur, tolerari posse neget, sed etiam Graecorum consuetudini repugnare dicat „qui fortius affirmandi causa eandem notionem per negationem contrarii cum copula repetunt.“ At conferas asyndeti huius generis augmentativi quae collegimus exempla.

750: *τί στρέφω τάδε;*

Recte Porsonus, Hermannus, Weilius alii vocem *τί* retinuerunt, a Nauckio in *ποῖ* mutatam; neque reiecerim Weilii versionem: „pourquoi tourner et retourner ces pensées? que me sert de réfléchir?“

875: *τὰ δ' ἄλλα θάρσει· πάντ' ἐγὼ θήσω καλῶς.*

Adnotat Hermannus: „Dubitari potest, an praestet interpungi *τὰ δ' ἄλλα, θάρσει, πάντ' ἐγὼ θήσω καλῶς*, quod placuit Reiskio, Elmsleio ad Med. 301 et Schaefero.“ Neque vero hoc acceperim.

Orestes 83 sqq.:

ἐγὼ μὲν ἄυπνος, πάρεδρος ἀθλίῳ νεκρῷ,
νεκρὸς γὰρ οὗτος οὕνεκα σμικρᾶς πνοῆς,
θάσσω.

Mirum videtur Kirchhoffium verbum *θάσσω* ab adiectivis *ἄυπνος πάρεδρος* seiunctum legi voluisse; nam non huic sed

illis summum, ni fallor, attribuendum est, ita ut θάσσω idem atque 'adsum' significet.

595 sq.: ἐκεῖνον ἡγεῖσθ' ἀνόσιον καὶ κτείνετε,
ἐκεῖνος ἥμαρτ', οὐκ ἐγώ· τί χρῆν με δρᾶν;

Nisi Orestem accusatores ad absurdum ducere voluisse cum Weilio putamus, versus ita ut traditi sunt accipere non possumus; neque vero eius rei causam video. Itaque Nauckio assentio e duobus versibus unum restituenti: ἐκεῖνον ἡγεῖσθ' ἀνόσιον. τί χρῆν με δρᾶν; Quod enim priora Orestes de deo eloqui audet, hoc mirum non est. Cf. Iph. Taur. 711: ἡμᾶς δ' ὁ Φοῖβος μάντις ὢν ἐψεύσατο, Ion 355: ἀδικεῖ νιν ὁ θεός.

1025 sq.: καὶ πῶς σιωπῶ; φέγγος εἰςορᾶν θεοῦ
τόδ' οὐκέθ' ἡμῖν τοῖς ταλαιπώροις μετόν.

Musgravius μετόν pro tradita lectione μέτα scribens, alii τόδ' in ὅτ' mutantes asyndeton hoc loco removere studuerunt. Eandem rationem Weilius iniit ὅτ' οὐκέθ' accipiens, quia et Graecorum usus particulam desideraret et scholiasta coniunctione ἐπεί uteretur. At scholiastae verbis nullo modo tantum momenti tribuam, atque eiusmodi enuntiata optime sine particula aut coniunctione apponi, docent exempla allata.

1333: Τίς; οὐδὲν οἶδα μᾶλλον ἢ σὺ μὴ λέγῃς.

Sic versum praebent codices Parisinus 2712 et duo Florentini; Marciani tradunt: τίς; οὐ γὰρ . . . Utrumque per se cogitari potest, neque facile diiudicabimus, quae scriptura praeferenda sit. Illam Dindorfius, Kirchhoffius, hanc Porsonus, Weilius secuti sunt.

Phoen. 391: ἓν μὲν μέγιστον, οὐκ ἔχει παρρησίαν.

Sic codices praeter unum *L*, qui quamquam ex correctione sed eiusdem manus et eodem tempore, ut observat Porsonus, praebet ἔχειν, neque aliter Stobaeus, Plutarchus, Musonius, Stobaei XL, 9 tradiderunt. Valckenaerius, Brunckius, Porsonus ἔχειν, quod idem Arnaldus coniectura assecutus est, Hermannus, Dindorfius ἔχει receperunt. Mihi infinitivus aptior videtur; respice enim, quod affert Valckenaerius ad hunc versum (suae editionis 394): „Sed quomodocunque legerint alii, certum est

Euripidem dedisse: *τί φυγάσιν τὸ δυσχερές;* sic autem interroganti numero plurativo Iocastae, verisimillimum respondisse Polynicen: *ἓν μὲν μέγιστον, οὐκ ἔχειν παρρησίαν*, hoc eo probabile, quod sic solent in senariis *ἀμοιβαίοις* Tragici infinitivos ponere, qui pendeant a praecedentibus."

408: *πῶς δ᾽ ἦλθες Ἄργος; τίν᾽ ἐπίνοιαν ἔσχεθες.*

Recte existimo viros doctos optimorum codicum scripturam *ἔσχεθες* retinuisse contra Hermannum, qui a codice Ven. 468, ubi legimus *ἔχων*, profectus *τίνα ποτ᾽ ἐπίνοιαν ἔχων* coniecit.

549 sqq.: *τί τὴν τυραννίδ᾽, ἀδικίαν εὐδαίμονα,*
τιμᾷς ὑπέρφευ καὶ μέγ᾽ ἥγησαι τόδε,
περιβλέπεσθαι τίμιον; κενὸν μὲν οὖν.

Haud indocte de vv. 549 sqq. Heboldius (de infiniti syntaxi Euripidea, Halis 1881, pag. 25 sq.) disseruit, qui et Klotzii *τόδε* cum *περιβλέπεσθαι* coniungentis interpretationem et quod voluit Geelius: „an circumspici honorificum est?" repudians: „Omnia", inquit, „recte procedere mihi videntur, si *τίμιον* in nominativum *τίμιος* mutato infinitivum *περιβλέπεσθαι* finalem usum hoc loco habere statuimus, hoc significantem: etwa um von allen Seiten geehrt angeschaut zu werden?" Neque vero quidquam mutandum esse arbitror, neque video, quid Geelii interpretationi obstet.

1262 sq.: *καὶ τἆθλα δεινὰ δάκρυά σοι γενήσεται*
δισσοῖν στερείσῃ τῇδ᾽ ἐν ἡμέρᾳ τέκνοιν.

Ut Valckenaerius, ita Dindorfius hosce versus seclusit. Porsonus Reiskio assentiens eos recepit, sed ipse mutans *καὶ τἆθλα* in *κἄπαθλα*. Hermannus: *καὶ τἆθλα δεῖν᾽, ἃ δάκρυά σοι γενήσεται.* Equidem ne hac quidem emendatione opus esse arbitror, at verba *καὶ τἆθλα δεινά* cum prioribus coniungenda, sequentia *ἀσυνδέτως* posita putaverim. Neque negari potest, illi Hermanni coniecturae asperitatis multum inesse.

1336: *οἰχόμεσθ᾽· οὐκ εὐπροσώποις φροιμίοις ἄρχει λόγου.*

Huius versus, quem libri totum Creonti attribuunt, initium Valckenaerius nuntii esse voluit eodem modo, quo in Hippol. vers. 568 chori iudicium *τί μέντοι· φροίμιον κακὸν τόδε* illud

Phaedrae ἐξειργάσμεθα (periimus) spectare dicit. Secuti sunt Porsonus, Hermannus, alii. Equidem vulgatam retineo, quoniam Creon, cum nuntium audivisset locutum: Ὦ τάλας ἐγώ, τίν' εἴπω μῦθον ἢ τίνας λόγους; eiusque vultum respiceret, suo iure profiteri potuit: οἰχόμεσθ'· οὐκ εὐπροσώποις φροιμίοις ἄρχει λόγου.

Suppl. 491: χαίρει δὲ πλούτῳ· ταῦτ' ἀφέντες οἱ κακοί...

Aptissime, ut breviter hoc moneam, Wilamowitzius totum hunc locum scripsisse videtur:

488 ὅσῳ δὲ πολέμου κρεῖσσον εἰρήνη βροτοῖς,
(ἣ πρῶτα μὲν Μούσαισι προςφιλεστάτη
Ποιναῖσι δ' ἐχθρά, τέρπεται δ' εὐπαιδίᾳ,
χαίρει δὲ πλούτῳ) ταῦτ' ἀφέντες οἱ κακοί...

508 sq.: σφαλερὸν ἡγεμὼν θρασὺς
νεώς τε ναύτης· ἥσυχος καιρῷ σοφός.

Wilamowitzius, „ne in posterum error propagaretur", versus ita interpunxit:

σφαλερὸν ἡγεμὼν θρασύς·
νεώς τε ναύτης ἥσυχος, καιρῷ σοφός.

Haec enim dixisse Euripidem: „in audacia ducis periculum inest; qui tranquillus esse solet gubernator tempestate oborta animo non destituitur atque in prudentia hercle vera fortitudo inest." Sed quid poëtam commovisse credamus, ut primum quidem pronuntiaret, ducis audaciam esse periculosam, tum diceret gubernatorem tranquillum etiam in tempestate sapienter agere, utrumque hoc orationis membrum particula τέ coniungens? Quid credamus poëtam non remansisse in imagine illa a ducis audacia repetita ita, ut primum de duce audaci aut de nimis audaci tum de duce audaci sed etiam sapienti loqueretur? An si gubernatorem inducere voluit, cur statim nobis tranquillum ante oculos ponit, cum antea non nisi de audaci imperatore dixerit? Quae offensiones omnes interpunctione vulgari retenta tolluntur. Nam tum verbum σφαλερόν et de duce et de gubernatore dicitur neque minus verba ἥσυχος καιρῷ σοφός ad utrumque virum referuntur, qui alter in pugna alter in mari aequam debet rebus in arduis servare mentem.

Heracl. 59 sq.:

χώρει· τί μοχθεῖς ταῦτ'; ἀνίστασθαί σε χρὴ
ἐς Ἄργος.

Elmsleius *χώρει ἐς Ἄργος* coniungit alia verba parentheseos notis comprehendens. Neque vero quisquam editorum recentiorum secutus est, neque hanc verborum distinctionem acceperim, quoniam nihil obstat, quin *ἀνίστασθαί σε χρὴ ἐς Ἄργος* verba alterum alterum proxime subsequentia cohaerere putemus.

941: *ὦ μῖσος ἥκεις; εἷλέ σ' ἡ Δίκη χρόνῳ;*

Ita etiam Elmsleius versum scribit; quod autem in adnotatione profert: „*Ὦ μῖσος ἥκεις. εἷλέ σ' ἡ Δίκη χρόνῳ.* Ita sine interrogatione haec legi possunt, et fortasse rectius", minus mihi probatur. Apparet enim interrogandi forma ironiam multo acerbiorem fieri.

Herc. fur. 634 sqq.:

φιλοῦσι παῖδας οἵ τ' ἀμείνονες βροτῶν
οἵ τ' οὐδὲν ὄντες· χρήμασιν δὲ διάφοροι·
ἔχουσιν, οἳ δ' οὔ· πᾶν δὲ φιλότεκνον γένος.

Proxime ad verum accedere mihi videtur Schliackius (de locis quibusdam Euripideis quaestiones criticae et exegeticae, Halis 1874, p. 35 sq.) verba *χρήμασιν δὲ διάφοροι· ἔχουσιν, οἳ δ' οὔ* amovenda esse demonstrans.

Ion 256: *οὐδέν· μεθῆκα τόξα.*

Hermannus haec verba unius tantum sententiae esse voluit vertens: „Temere haec dicta ieci", at illa distinctio praeferenda mihi videtur; nam aut verbum *δυσθυμοῦμαι* ad *οὐδέν* ex voce *δυσθυμεῖ* versus prioris *τί χρῆμα δ' ἀνηρεύνητα δυσθυμεῖ, γύναι;* sumendum est, aut *οὐδέν* ad aliud aliquod verbum referendum, quod in alio Ionis versu nunc deperdito, ut coniecit Heilandus, continebatur.

529: *οὔ· τρέχων ὁ μῦθος ἄν σοι τἀμὰ σημήνειεν ἄν.*

Kockius (Neue Jahrb. für Phil. VI Suppl., p. 210 sq.) haud iniuria in locutione illa *τρέχων ὁ μῦθος* offendit, quae nihil aliud nisi sermonem iusto celerius properantem significaret; qua de causa versus initium hoc modo restituendum esse censuit:

συντρέχονθ' ὁ μῦθος . . . Quae verba ita interpretatus est: „si patienter et benigne me audias, facile quod dicturus sum (*ὁ μῦθος*) tibi persuadeat, meam fortunam (*τἀμά*) cum tua artissime coniunctam esse.“ At, quamvis locum corrigendum esse assentiam, haec ipsa vereor ut feliciter coniecerit vir doctissimus. Nam primum quidem, postquam Ionem *ποῦ δέ μοι, πατὴρ σύ; ταῦτ' οὖν οὐ γέλως κλύειν ἐμοί;* interrogantem audivimus, responsionem quam maxime definitam exspectamus, qua ironia illa, quae in extremis verbis est, apertissime refellatur. Illa autem, quae Kockius Xuthum dicentem facit, verba neque soque solum irrisionem non respiciunt, sed etiam ipsam rem, de qua agitur — an Ionis pater sit necne —, magis obtegunt quam detegunt. An credamus hominum duorum fata inter se non connexa esse nisi qui genere proximi sint? Hoc igitur tantum Xuthus illis verbis effecisset, ut quae antea (v. 527) clare ac dilucide elocutus erat: *πατρὸς γάρ, ἢν κτάνῃς, ἔσει φονεύς,* nunc ipse obscure circumscriberet.

Deinde, viro docto obiecerim, valde dubium mihi est, an re vera verba *τἀμὰ συντρέχει σοι* significare possint: mea fortuna cum tua coniuncta est. In eis quidem exemplis, quae attulit: vs. 547 *τῷ χρόνῳ γε συντρέχει* (tempus certe convenit), Aesch. frgm. 352 (Dind. 299) *οὐ θνήσκει τις, εἰ μὴ τέρμα συντρέχοι βίου,* Eur. Or. 1215 *τοῦ γὰρ χρόνου τὸ μῆκος αὐτὸ συντρέχει,* de temporum modo rationibus res est, ita ut de actionibus vel statibus aequalibus cogitandum sit, non de fatis alterum ab altero pendentibus.

Itaque, ut orationem simplicem ac definitam habeamus, proposuerim:

ΙΩ. . . . . *ταῦτ' οὖν οὐ γέλως κλύειν ἐμοί;*
ΞΟ. οὐ γέλως· ὁ μῦθος ἄν σοι τἀμὰ σημήνειεν ἄν.

1012. Satis superque Enthoven (de Ione fabula Euripidea, Bonnae 1880, p. 51–55) versibus 1010–1017 obelum esse praefigendum demonstravit.

1430: *τί δρᾶν; τί χρῆσθαι, φράζε μοι, χρυσώματι;*

Enthoven de verss. 1425—32 agens (l. l. p. 56 sqq.): „In versu“, inquit, „1430 et verbum *δρᾶν* ineptum est et grande dicendi genus, quod duplici interrogatione *τί δρᾶν; τί χρῆσθαι;*

expressum est, supervacaneum et cum sententia verborum aperte certat." Neque iniuria hunc versum deleri mihi persuasum est; quomodo autem totum locum emendare studeat vir doctus, minus mihi probatur. Nam quamvis recte eos secutus sit, qui versum 1428 Creusae tribuerent, falso tamen ex hac re collegit, primum unum versum Ionis interrogationem continentem excidisse, tum v. 1428 Ioni adscriptum, deinde v. 1429 (quem suo iure dicit adeo non ad versum priorem quadrare, ut potius solummodo interrogationem, qualem v. 1426 praebeat, sequi possit) intrusum esse. Neque magis acceperim quae dicit: „Versu 1430 deleto ne vs. 1431 quidem stare potest" Potius versus 1426, 1429, 1431 omnes retineo; talem autem eorum connexum fuisse puto, ut Ioni v. 1426 quaerenti: *ἔστιν τι πρὸς τῷδ', ἢ μόνον τόδ' εὐτυχεῖς;* Creusa responderet:

1427 *δράκοντε μαρμαίροντε παγχρύσῳ γένυι*
29 *Ἐριχθονίου τε τοῦ πάλαι μιμήματα,*
28 *δώρημ' Ἀθάνας, ἣ τέκν' ἐντρέφειν λέγει*
31 *δέραια παιδὶ νεογόνῳ φέρειν, τέκνον.*

Quattuor enim versibus Creusa, quam alteram rem praeter vestimenta cistella contineret, descripsisse mihi videtur, ita ut Ionis verbis (v. 1432) *τὸ δὲ τρίτον ποθῶ μαθεῖν* admonita ad tertiam rem definiendam denuo pari numero utitur. Atque facile cognoscimus hanc colloquii partem eo modo poëtam statuisse, ut primum (1402—5) bini binos, tum (1406—25) singuli singulos, deinde (1426—36, deleto 1430) quaterni singulos exciperent. Necesse quidem est versus 1428 post 1429 ponatur, quippe quo praecipue de exteriore anguium specie certiores fiamus, ut arctissime cum versu 1427 coniungendus sit. Versu autem 1428 de origine, sequente de fine doni docemur, quam ob rem etiam haec verba versu 1429 molestissime interrupta videmus. — Quod denique Enthoven versibus 1428—31 retentis nescire se dicit, quo *οἶδε* referendum sit, spero virum doctum nunc, cum reiecto versu 1430 una tantum simplex sententia antecedat, nondum in hac re offensurum esse.

Schmidius (Euripidea. De Ione. Lipsiae 1884, p. 29), ut haec quoque paucis moneam, Heilandum laudat quidem, quod recte stichomythiam omitti animadverterit, reprehendit autem, quod verss. 1427. 28. 29 uni Creusae tribuerit. Nam sibi veri-

similius esse dicit „Ionem illas res additas esse infanti mirantem interpellare Creusam, ut paedagogus eandem interpellat in v. 1012, atque interrogare cum hisne educandi fuerint pueri, affirmare autem illam hoc eiusque rei causa uti illa particula, quam aientis esse nemo ignorat.“ Itaque proponit vir doctus:

1427 *ΚΡ. δράκοντε καρχάρω γε παγχρύσω γένυν*
δώρημ' Ἀθάνας — ΙΩ. ἦ τέκν' ἐντρέφειν; λέγε.
ΚΡ. Ἐριχθονίου γε τοῦ πάλαι μιμήματα.

At, ut de aliis mutationibus non dicam, mihi omni modo stichomythiae ordo videtur restituendus esse.

Helen. 325 sq.:

ὅθενπερ εἴσει πάντα, τἀληθῆ φράσαι
ἔχουσ' ἐν οἴκοις τοῖςδε, τί βλέπεις πρόσω;

Multum viri docti studuerunt, ut difficultates quae verbis *τἀληθῆ φράσαι ἔχουσ' ἐν οἴκοις τοῖςδε* insunt, amoverentur. Heimsoethius *μαθεῖν* scribit, Kirchhoffius post *φράσαι* gravius interpungit, Nauckius hoc accipiens, ne *ἔχουσα* obiecto careat, *τήνδε* mutat. At respiciens in verbis *τἀληθῆ φράσαι* sive cum sequentibus coniungantur sive non, offendi, verba autem *ἐν οἴκοις τοῖςδε* plane supervacanea esse — nam Theonoen ibi versari iam vss. 317 sqq. indicatum erat, cum suaderet chorus: *ἐλθοῦσ' ἐς οἴκους . . . πυθοῦ Θεονόης* — facere non possum, quin interpolationem esse putem. Scribamus igitur: *ὅθενπερ εἴσει πάντα· τί βλέπεις πρόσω;*

780 sq.:

φεῦγ' ὡς τάχιστα τῆςδ' ἀπαλλαχθεὶς χθονός·
θανεῖ πρὸς ἀνδρὸς οὗ τάδ' ἐστὶ δώματα.

Funke (Legem stichomythiae quibus rationibus observaverit Euripides. Rostochii 1875, p. 19 sqq.) demonstravit versum posteriorem esse delendum, non priorem, quem Valckenaerius ex Phoen. 972 illatum putarat.

1447 sq.:

κέκλησθέ μοι, θεοί, πολλὰ χρήστ' ἐμοῦ κλύειν
καὶ λυπρά.

Verba vitii ut ait Dindorfius suspecta, ita emendavit Hermannus, ut scriberet: *κέκλησθέ μοι θεοὶ πολλὰ χρήστ' ἐμοὶ*

τυχεῖν κἄλυπ', κέκλησθε pro indicativo, *πολλί* pro *πολλάκις* dictum accipiens. Quam emendationem Dindorfius probavit, sed *κέκλησθε* pro imperativo habendum, *πολλά* cum *χρηστὰ κἄλυπα* coniungendum esse putavit, quoniam *πολλά* verbo *κέκλησθε* additum esse nemo facile sentiret, nisi quem comma appositum monuisset; id quod haud iniuria contra dictum mihi videtur. Verisimillimum autem est quod scribit Kirchhoffius: *κέκλησθέ μοι, θεοί, πόλλ' ἄχρησθ' ὁμοῦ κλύειν καὶ λυπρά.*

Asyndeton, si hoc modo locum legimus, statuendum est causale, si Dindorfium sequi malis, consecutivum.

Electra 651 sq.:

λέγ', ὦ γεραιέ, τάδε Κλυταιμνήστρᾳ μολών.
λεχώ μ' ἀπάγγελλ' οὖσαν ἄρσενος τόκῳ.

Quamvis viri docti ad stichomythiam servandam aut lacunam inter hosce versus statuerint aut priorem spurium notaverint, tamen Funke (l. l. p. 25 sqq.) rectum vidisse mihi persuasum est, demonstrantem verba tradita neque hiare neque interpolationis suspicionem praebere; neque vero poëtam vituperandum esse, quod, quoniam non unam, sed tres stichomythias — inter Orestem et senem, inter senem et Electram, inter Electram et Orestem — habeamus, „non omnes ad unum versus singulos se excipientes fecerit, sed fines stichomythiae cuiusque (v. 650 et 670) binis continuis versibus notare voluerit, ut animis spectatorum ad bene omnia percipienda succurreret."

986 sq.: *καὶ δεινὰ δράσω γ'· εἰ θεοῖς δοκεῖ τάδε, ἔστω.*

Weilius particulam *δέ* inseruit, ut hanc enuntiationem praecedenti arctius coniungeret: *δράσω· θεοῖσι δ' εἰ δοκεῖ τάδε, ἔστω.* Tamen non scribendum erat; nam optime Orestes hoc loco quasi novam exorditur orationem. Singularum sententiarum connexum cum Reiskio, Seidlero, Kirchhoffio ita statuere malim, ut verba *εἰ θεοῖς δοκεῖ τάδε* primae orationis finis sint, sequatur affirmandi causa verbum *ἔστω.* Quod autem Camperus dicit, verba *εἰ θεοῖς δοκεῖ τάδε* ad priora referri non posse, quia ipsum verbum *ἔστω* tum nudius stet, huius usus apud Euripidem exempla saepissime nobis occurrunt.

Bacchae 242 sq.:

ἐκεῖνος εἶναί φησι Διόνυσον θεόν,
ἐκεῖνος ἐν μηρῷ ποτ' ἐρράφη Διός.

Hermannus Reiskio, Musgravio, Brunckio praeeuntibus *ἐρράφθαι* scripsit, hoc modo efficiens, ut in utroque versu *ἐκεῖνος* ad unam eandemque personam referri versusque alter alteri arctius coniungi posset. Sed verba quae sequuntur *ὃς ἐκπυροῦται,* id quod monuit Dindorfius, ita posita sunt, ut non Dionysum sed Iovem ipsum crematum esse credendum sit; quam sententiarum absurditatem plane evanescere dicit vir doctus deleto versu 243. Neque habeo quid opponam. Immo idem versificator, cuius versus 286—297 esse demonstrat, etiam hoc loco, ni fallor, rei, dignissimae, ut putabat, quae iterum atque iterum in memoriam revocaretur, mentionem facere voluit. Nam uti verba *ἐκπυροῦται λαμπάσιν κεραυνίοις* quodammodo iis, quae legimus vss. 90 sqq.: *νηδύος ἔκβολον μάτηρ ἔτεκεν λιποῖσ' αἰῶνα κεραυνίῳ πλαγᾷ,* respondent, ita habere voluit quae idem fere continerent ac versus 96: *κατὰ μηρῷ δὲ καλύψας.*

341 sq.: *ὃ μὴ πάθῃς σύ· δεῦρό σου στέψω κάρα*
κισσῷ· μεθ' ἡμῶν τῷ θεῷ τιμὴν δίδου.

Contra Dindorfium, qui verba *δεῦρο — κισσῷ* ab Elmsleio parenthesi inclusa *διὰ μέσου* posita esse dicit (Annot. p. 713), eadem pro apodosi puto; verba *μεθ' ἡμῶν* sqq. *ἀσυνδέτως* adiecta esse arbitror, Hermannum secutus.

842 sq.:

πᾶν κρεῖσσον, ὥστε μὴ 'γγελᾶν βάκχας ἐμοί.
ἐλθὼν ἐς οἴκους ἂν δοκῇ βουλεύσομαι.

Varia a viris doctis temptata sunt, ut difficultates versibus codice falso distributis ortas solverent; alii Heathium sequuntur versus 842 sq. Pentheo, 844 Baccho, 845 sq. Pentheo tribuentem, alii, ut Heilandus, verss. 842. 43 iuste positos defendunt, alii, ut Kirchhoffius, Dindorfius, lacunam statuunt, alii, ut Nauckius, versum priorem eiiciunt. Verbose denique Funke (l. l. p. 12 sqq.) de hoc loco disputavit, sibi persuadens post versum 842 alterum, qui Bacchi fuisset, excidisse. Quae paullo accuratius contemplari mihi liceat. Rectissime, postquam, quae versibus 821—842 con-

tinentur, circumscripsit, pergit vir doctus: „Faustis his verbis prolatis (int. *πᾶν κρεῖσσον ὥςτε μὴ 'γγελᾶν Βάκχας ἐμοί*) quid aptius quam ut *ὁ ξένος* ea prosecutus statim regem adloquatur: ‚certum igitur tuum consilium est, ut tali ornamento indutus in Cithaeronem montem mecum ascendas?' Qua interrogatione audita Pentheus clare demum perspiciens, quid istis verbis promiserit, labefactatur et in dubia pristina reiectus se domum intrare et rem acrius perpendere velle dicit, *ἐλθὼν ἐς οἴκους ἂν δοκῇ βουλεύσομαι*. Sic omnia recte se habent. Pentheum haesitantem aperte ostendunt et v. 835 sq." (apud Dind. 845 sq.) At tali Bacchi interrogatione minime opus est. Verbis enim *ἐλθὼν ἐς οἴκους* sqq. rex non se deliberaturum esse dicit, utrum in montem eum sequatur necne, immo semper certum ac decretum ei fuit ad bacchas observandas proficisci (cf. vss. 811 et 820); hoc tantum dubitavit, utrum re vera cautiones, quibus uti *ὁ ξένος* suaserat, omnes adhiberet, an alio modo, utpote virum deceret, pericula cavere posset. An verba, quae Bacchus respondet: *ἔξεστι· πάντῃ τό γ' ἐμὸν εὐτρεπὲς πάρα*, postulant, ut denuo eum de consilio eundi dubitare credamus? Minime. „Age te praepares", ait deus, „quacunque ratione tibi convenit; ego ab omni parte paratus."

Symmetriam autem stichomythicam poëtam deseruisse, vir doctus iam Schoeneo concessit, ut in fine dialogi aliam poneret, cuius ratio esset 1 : 2. — Particula denique adversativa, qua versus alter alteri adiungatur, opus esse plane nego.

Iphig. Taur. 38 sqq.:

θείου γὰρ ὄντος τοῦ νόμου καὶ πρὶν πόλει,
ὃς ἂν κατέλθῃ τήνδε γῆν Ἕλλην ἀνήρ,
κατάρχομαι μέν, σφάγια δ' ἄλλοισιν μέλει.

Codex *C* praebet versu 38 *θύω* pro *θείου*, quod si cum Kirchhoffio accipimus, asyndeton statuendum est. Neque vero dubito quin rectius sit, quod legimus in cod. *P* a manu prima correctum, *θείου*; nam tum omnia bene se habent; verbo autem *θύω* accepto post *κατάρχομαι* potius particulam *γέ* exspectamus restringentem, quoniam hoc in illo continetur. Kviçala quidem *θύειν* recipiens duo enuntiata contrahit: quod idem, nisi in codicis scriptura acquiescis, haud spernendum est; at illud praefero.

67: *ὅρα, φυλάσσου, μήτις ἐν στίβῳ βροτῶν.*

Elmsleius (in annotatione ad Eurip. Iph. Taur. ex recensione A. Seidleri) proponit *ὅρα φυλάσσων,* conferens Iph. Aul. 145: *λεῦσσε φυλάττων μήτις σε λάθῃ,* Xen. Hell. V 4, 28: *τοῦ δ' ὄρθρου ἀναστὰς ἐφύλαττε, μὴ λάθῃ αὐτὸν ὁ πατὴρ ἐξελθών.* Neque vero video, cur, quod omnium codicum consensu traditum est, mutemus.

675: *κοινῇ δὲ πλεύσας, δεῖ με καὶ κοινῇ θανεῖν.*

Ita versum Elmsleius restituit tradita lectione: *κοινῇ τ' ἔπλευσα, δεῖ με καὶ κοινῇ θανεῖν.* Multum enim versus ita compositus, ut ipse totus enuntiato priori et singulae inter se partes *ἀσυνδέτως* legantur, quoniam particulae *τέ* nihil respondet, viros doctos offendit. Sed quamquam Kochius (l. l. p. 32): „Res“, inquit, „vix potest decerni nostris quidem subsidiis, et tota est posita in cuiusque arbitrio“, mea quidem opinione Hermannum nobis sequendum est, qui versum rectissime aptissimeque dictum esse contendat.

1042: *ποῖ δῆτα; πόντου νοτερὸν εἶπας ἔκβολον;*

Sic Dindorfius, Nauckius, Kirchhoffius, alii. Praetulerim distinctionem Seidleri: *ποῖ δῆτα πόντου; νοτερὸν εἶπας ἔκβολον;* Nam „hoc ipsum“, ut exponit vir doctus, „quod in universum Iphigenia dixerat, *πόντου πηγάς* accuratius sibi vult Orestes definiri. Quaerit itaque: ubinam igitur in mari? an dicebas humectatum illum *ἔκβολον*?“ Aliter Weilius locum intellegi vult, qui scribit: *ποῖ δῆτα; τόνδε νοτερὸν ἢ παρ' ἔκβολον;* sed neque *τόνδε* neque *παρά* adeo non careri posse, ut hisce verbis illatis coniectura quidquam fulciretur, non mihi persuasit vir doctissimus.

1480 sq.: *ἴτωσαν ἐς σὴν ξὺν θεᾶς ἀγάλματι γαῖαν.*

Elmsleius in voce *ἴτωσαν* eodem modo quo in *ἔστωσαν,* quod est traditum Ion v. 1130, propter tertiam pluralem imperativi in *ωσαν* terminatam offendens restituere voluit *ἰόντων,* quod in vulgatis saltem exemplaribus exhiberent Thuc. IV, 118, Plato legg. p. 956 C. Quam formam, si legitima esset, facile reponi dicit: *εἰς σὴν ἰόντων γαῖαν*; at in Review of Marklands Iphig. in Taur. loquitur: „In the first passage, we are inclined

to read: *ἴτων τε τὴν σήν.*" Apparet hanc mutationem multo leviorem esse; tamen vulgata retinenda mihi videtur.

Iphig. Aul. 331: *οὐχὶ δεινά; τὸν ἐμὸν οἰκεῖν οἶκον οὐκ ἐάσομαι;*

Librorum scripturam Hermannus mutavit, ut dictionem usui magis convenientem restitueret: *οὐχὶ δεῖν' εἰ . . . οὐκ ἐάσομαι;* Sed, ut adnotat Firnhaberus, tum vir illustrissimus, quoniam post *ἐάσομαι* interrogandi signum ponebat, hoc ipsum verbum sensu passivo accipere debuit; id quod, si non analogiae, sed usui contrarium esse[4].

333: *εὖ κεκόμψευσαι πονηρά· γλῶσσ' ἐπίφθονον σοφή.*

Quamvis Dindorfio Ruhnkenii coniecturam *εὖ* pro *ἐκ* accipienti plane assentiam, persuaderi mihi nequeo de oxymoro illo quod est in coniunctione verborum *εὖ — πονηρά.* Itaque Weilium sequor, qui librorum scripturam *πονηρόν* emendans scribit: *εὖ κεκόμψευσαι· πονηρῶν γλῶσσ' ἐπίφθονον σοφή.*

354: *ὡς ἄνολβον εἶχες ὄμμα σύγχυσίν τε, μὴ . . .*

Versu hoc loco posito asyndeton enumerativum est. Sed quoniam primum Menelaum de Agamemnone (*οὐδὲν ἦσθ'* . . .), tum de Danaïdis avehere naves minantibus, deinde rursus de Agamemnone loquentem videmus hoc versuum ordine retento, praeferenda mihi videtur multo huius loci sanandi ratio, quam iniit L. Dindorfius. Qui versus 354 sq. removens hoc modo versus alteri alterum continuat:

Ὡς δ' ἐς Αὖλιν ἦλθες αὖθις χὠ Πανελλήνων στρατὸς
οὐρίας πομπῆς σπανίζων, Δαναΐδαι δ' ἀφιέναι
ναῦς διήγγελλον, μάτην δὲ μὴ πονεῖν ἐν Αὐλίδι,
οὐδὲν ἦσθ', ἀλλ' ἐξεπλήσσου τῇ τύχῃ τῇ τῶν θεῶν.

Nauckius versum 351 spurium putans post 352 lacunam statuit, cuius explendae causa vss. 354 sq. essent interpolati.

356: *κἀμὲ παρεκάλεις, τί δράσω; τίνα δὲ πόρον εὕρω πόθεν;*

Permulta illa exempla, quibus post verba *τί δράσω;* alteram interrogationem sine particula appositam videmus, haud parvam fidem faciunt Nauckii coniecturae sagacissimae: *τί δράσω;*

τίν' ἀπορῶν εὕρω πόρον; neque minus scripturae Weilii: *τίν' ἀπόρων εὕρω πόρον;*

652: *οὐκ οἶδ' ὅτι φής, οὐκ οἶδα, φίλτατ' ἐμοὶ πάτερ.*

Si quidem hac in codicum scriptura quidquam tibi mutandum videtur, Hermanni coniecturam: *οὐκ οἶδά σ' ὅτι φῄς φίλτατ', οὐκ οἶδ', ὦ πάτερ,* aliis longe praeferas. Omnino autem erravit, ni fallor, Weilius proponens: *οὐκ οἶδά θ' ὅτι φῄς κοἶδα . . . .*; talibus enim verbis solis Agamemnonis responsionem congruere putat. Mihi sententiarum connexus hic esse videtur. Patri, qui frustra filiae de lacrimis suis sollicitae animum verbis: *μακρὰ γὰρ ἡμῖν ἡ 'πιοῦσ' ἀπουσία* confirmare studuit, respondet Iphigenia, se nescire quid sibi velit, ita indicans hanc lacrimarum causam veram se non agnoscere; Agamemnon autem haec quamvis obscure dicta plane sentiens neque amplius veritatem dissimulari posse intellegens, confitetur: Prudenter locuta eo magis misericordiam meam commoves.

1185: *θύσεις δὲ τὴν παῖδ'· ἔνθα τίνας εὐχὰς ἐρεῖς;*

Elmsleius Marklandi Iphig. in Aul. recensens adnotat ad hunc versum: „Read *θύσας δὲ σὴν παῖδ' εἶτα τίνας εὐχὰς ἐρεῖς;* . . . . In the passage before us *θύσας* is to be interpreted· *ἐὰν θύσῃς.*" Rectissime autem Matthiae viro clarissimo opponens: „At", inquit, „qui preces ad deos facit, facit eas *θύων* non *θύσας*; vid. Hec. 520 sq. et sic sq. v. *σφάζων* non *σφάξας.*"

Fragm. 362, 38 sq.:

τὴν οὐκ ἐμὴν οὖν πλὴν φύσει δώσω κόρην
θῦσαι πρὸ γαίας.

Non acquiescens in particula *οὖν* a Nagelio versus supplendi causa addita Meklerius (Euripidea. Wien 1879, pag. 27 sq.) optime proponit: *τὴν οὐκέτ' ἀμὴν πλὴν φύσει δώσω κόρην,* quoniam Praxitheae filia patriae dedita iure non iam matris sit. Asyndeton hac ratione ortum consilio poëtam adhibuisse, quippe quo quam maximi momenti oratio fieret; conclusionem nobis se praebere versu 41 exponit. Quibus causis mihi quidem persuasit vir doctus, felicissime locum esse restitutum.

VITA.

Ericus Bussler Kienitzii, in dominio quodam regali provinciae Brandeburgensis, anno MDCCCLXI a. d. VII Cal. Mart. patre Julio viro optimo, quem iam decem annis post morte mihi ereptum esse lugeo, matre Maria, e gente Michaelsenia, adhuc superstite natus fideique evangelicae addictus sum. Inde ab undecimo aetatis anno gymnasium, quod est Freienwaldiae in urbe Marchica, frequentavi, ubi autumno anni MDCCCLXXVIII maturitatis testimonio instructus sum. Quo facto statim primum quidem litterarum philologicarum, anno proximo iuris et cameralium studio Berolini, per unum semestre Heidelbergae operam navavi; sed morbo afflictus et saepius per minora temporis spatia et per duo semestria hibernalia plane incepto desistere coactus sum. Tandem Dei gratia valetudine restituta vere anni MDCCCLXXXII denuo litteris philologicis me dedi, per quinque semestria Berolini Kirchhoffium, Vahlenum, Huebnerum, Dielsium, H. Droysenum, Muellenhoffium,Schererum, Zellerum, Paulsenum, per duo semestria Gryphiswaldiae Susemihlium, Kaibelium, Kiesslingium, Halis nunc per tertium semestre Keilium, Hillerum, Dittenbergerum, Goscheum, Vaihingerum, Uphuesium audiens, quibus omnibus viris illustrissimis quantam gratiam debeam, nunquam obliviscar.

Errata.

Pag. 17 insere post γῆρας (Bacch. 255 sqq.): πολιὸν, pag. 31 post ἥσυχός γ' (Troad. 983 sqq.): ἐν. — Pag. 38 lege: de quibus cf. pp. 66 et 77; pag. 48 lege: vide p. 69 et cf. pagg. 74 et 84.

Paginarum numeros, quibus sub linea lectorem ad adnotationes criticas meas delegare volui, hocce modo corrigas:

pag. 17:	[1]) cf. pag. 71.	[2]) cf. pag. 87.
„ 21:	[1]) „ „ 88.	
„ 22:	[1]) „ „ 86.	
„ 23:	[1]) „ „ 75.	
„ 24:	[1]) „ „ 74.	
„ 25:	[1]) „ „ 67.	
„ 26:	[1]) „ „ 77.	
„ 27:	[1]) „ „ 70.	
„ 28:	[1]) „ „ 77.	[2]) cf. pag. 75.
„ 29:	[1]) „ „ 78.	[2]) „ „ 79.
„ 30:	[1]) „ „ 84.	
„ 31:	[1]) „ „ 72.	
„ 32:	[1]) „ „ 83.	[2]) „ „ 88. [3]) cf. pag. 65.
„ 35:	[1]) „ „ 68.	[2]) „ „ 70.
„ 36:	[1]) „ „ 72.	
„ 38:	[1]) „ „ 76.	
„ 40:	[1]) „ „ 76.	
„ 41:	[2]) „ „ 76.	
„ 42:	[2]) „ „ 82.	
„ 43:	[1]) „ „ 69.	
„ 47:	[1]) „ „ 70.	[2]) cf. pag. 73.
„ 48:	[2]) „ „ 85.	